

h. 108, 43.

X 2044 145



CYGNI

QV ASIMODOGENITI,

H. E.

CLARI ALIQVOT CYGNEI,

QVORUM IN CHRONICO CYGNEO AUT
NULLA AUT SUPERFICIARIA
FACTA EST MENTIO,

AB OBLIVIONE VINDICATI,
ET

DULCISSIMÆ PATRIÆ
DEDICATI

A

L. JOACHIMO FELLERO, CYGNEO,
POES. P. P. IN ACADEM. LIPSIENSI,
EJUSDEMQUE BIBLIOTHECARIO,

CUM

PRÆFATIONE

DE CLARIS QVIBUSDAM ALIIS
MISNICORUM OPPIDORUM
VIRIS.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

Apud JOH. CHRISTIANUM WOLPHARTUM.

Anno M DC LXXXVI.

S.





CYGNEÆ,

DULCISSIMÆ PATRIÆ,
INQUE EA

MAGNIFICO CONSULI

PRIMARIO,

AMPLISSIMO CONSULI

ALTERI,

PRÆTORIBUS GRAVISSIMIS,

CAMERARIO DEXTERIMO

ÆRARIÆ ECCLESIASTICI PRÆ-
FECTO FIDELISSIMO

RELIQUISQUE

SENATORIBUS PRUDENTISSIMIS,

ET INTEGERRIMIS,

DE SALUTE EJUS

PRÆCLARE MERITIS ET ADHUC

MERENTIBUS

CYGNEOS HOSCE CLAROS

TANQUAM CYGNOS QUASIMODO GENITOS

REPRÆSENTAT,

ET CUM GRATÆ MENTIS TESTIFICA-

TIONE DICAT

L. JOACHIMUS FELLERUS,

CYGNEUS.



PATRES PATRIÆ CONSCRIPTI!

Quanquam Ecclesiæ vel Scholæ Patriæ talento meo quantumlocunque inservire, quod oppido mihi olim in optatis erat, per fata aliorum me ducentia, non licuit, semper tamen, extra Patriam licet constitutus, fui sumque adhuc, si quisquam, *Φιλόπατρις*; nec dememinisse possum jucundissimi illius temporis, quo CL. DAUMII lateri adhærens Scholæ vestræ alumnus jam per montes arboribus Moldanum flumen inumbrantes, jam per sylvas piniferas, & prata viridantia, jam per loca piscinis vastissimis nobilitata, mox per amænissimas, quæ Orientem spectant, valles exspatiabar, & cum Scriptorum aliorum notæ optimæ, tum Poetarum imprimis lectione cum fidelissimo ductore & doctore me oblectabam. Præterea cum post tot tamque violentos Martis ac Mortis insultus Patria charissima in ferreum quendam statum conjecta fuerit, ei aureum seculum quoddam, vel ramenta saltem vetustæ illius felicitatis sexcenties, imo millies exoptavi, exopto adhuc, atque exoptare, dum spiritus hos artus reget, non desinam. Cæterum beneficii illius non exigui, quod ob indigentiam Parentum meorum ante septem hos annos mihi contulistis, probe memor, gratissimam animi mentem specimine quodam publico testatam Vobis facere jamdudum penes animum constitui, JANI CORNARII, suo tempore incomparabilis & Cygnei & Medici, exemplo permotus. Nam cum & ille beneficiis à Senatu Zwiccaviensi, dum Academicum hinc inde ageret, non delibutus, sed totus permadidatus esset, Basileæ tum degens, *Amplissimis, ac Prudentissimis, honestissimisque Viris, Senatui populoque Zwiccaviensium* (ita enim habet ejus inscriptio) Universæ Rei Medicæ *Ἐπιγεαφῆν* seu enumerationem compendio tractatam, grati animi contestandi ergo, dedicavit. Sic autem ille inter alia in Dedicatione ista: *Vestris sumptibus ac stipendiis integrum septennium Musarum ac Apollinis castra sum miles secutus, ac qualiscunque tandem à me in horum castris opera fuit præstita, est tamen publice per omnes coronarum distributionis ordines, suas laureas adeptus. Quod vestrum beneficium, si ingratus acceptasse viderer, merito sine pectore corpus judicandus essem. At vero ego gratissimo*
sem-

semper animo memini, quanquam, quo talionem reddere possim, jam
dudum de modo desperavi. Dignum autem non mea, qui vestras
sum, sed eloquentissimi ac optimi cujusque prædicatione, nobilissima Ur-
bis vestra institutum, quo certis stipendiis in singulos annos aliquot
multos indigenas, bonæ indolis adolescentet, ad bonarum artium stu-
dia in quibusque laudatissimis Academiis enutritis. Quam laudem
ut Vos soli præ reliquis multis urbibus propriam habetis, ita optandum
esset plerasque esse, quæ vobis eam inviderent ac strenue emularentur.
Circumspicienti autem mihi, quem qualemve ingenii ego, Cor-
narii magni illius umbrula, pro beneficentia isthac Vobis, PATRIÆ
PATRES VENERANDI, consecrarem, commodum Tuæ, MAGNI-
FICE FERBERE, literæ superiore anno mihi offerebantur, quibus,
ut, si quid forte in Paulina nostra de Cygnea ac Cygneis reperi-
rem ἀξιωματικόν ἔσται, id communicare Tecum ne intermitterem,
quam humanissime me instigabas. His itaque velut stimulis in-
citus excutiebam compluscula, qui conficiendo alias MSSorum
Paulinorum Catalogo tum eram intentus, ad historiam gloriam-
que dulcissimæ Patriæ pertinentia; Cygneos imprimis non paucos,
eruditione ac dignitate olim conspicuos, sed hætenus diuturno
silentio quasi contumulatos. Quos cum dignos omnino esse exi-
stimarem, qui renascerentur tum in Patria tum in Orbe literario
universo, eos tanquam *Cygnos Quasimodogenitos* (neque enim Poe-
tæ tantum, sed & literati quique hieroglyphice Cygni audiunt)
Dulcissimæ Patriæ, inque ea & VOBIS, qui fulcra ejus atque colu-
mina estis, repræsentare gratus civis volui. Recipite hos, quæso,
renatos, qui in sinu olim Patriæ sunt nati, non degeneres certe Ma-
tris suæ aut indecores filios, dumque id facitis, etiam hoc Schedias-
ma historicum tanquam specimen gratæ mentis quaecunque ne
aspernamini. Ego misericordissimum Numen devotissimis invo-
co precibus, ut, VOS PATRIÆ PATRES OPTIMI, fospites inco-
lumesque quam diutissime præstet, quo sub pietatis, prudentiæque
vestræ pervigiliis felicique regimine *Cygnea* ipsa fiat *Quasimodo-
genita*, salusque ejus incrementis novis, iisque perpetuis ac con-
stantibus, efflorescat. Scrib. in Bibliotheca Paulina Vigilia Domi-
nicæ QUASIMODOGENITI Ao. ær. Chr. clj ljc LXXXVI.

PRÆ.



PRÆFATIO

De Viris Claris aliquot oppidorum locorumque Misniæ.

Annus jam totus exactus est, & tres, qui excurrunt, menses, ex quo vitam & res præclare gestas D. CASPARIS BORNERI, Theologi quondam Lipsiensis, & primi Academiae Bibliothecarii, Oratione solenni tanquam Decanus, & XXXIIX. Magistrorum Promotor percensui. Neque enim mihi, qui Bibliothecarii Academici munus jam obeo, committendum rebar, ut memoria Viri de commodis ornamentisque Academiae hujus meritissimi sipario silentii diutius maneret obvoluta; quæ fini & Orationem isthanc, invita quamvis Minerva à me, tum a morbis mirum quantum enervato, scriptam, una cum Catalogo MSSorum Paulinorum non ita pridem edidi. Erat Bornerus ille Haynæ, quod oppidum Misniæ est, oriundus. Haynensem enim se professus est semper in Actis Academiae publicis; talem etiam Georgius Fabricius, ejus quondam in Schola Lipsiæ Thomana Collega in Annalibus Urbis Misnæ lib. III. fol. 84. pronunciat; nec aliter olim Matriculae Academiae Lipsiensis primæ Anno 1507. Rectore M. Ludovico Sartoris, SS. Theol. Baccal. fuit inscriptus, quam *Caspar Borner de Haynis*; ut non immerito demirari subeat, cur idem Bornerus à D. Andrea Mollero, in theatro Chronici Freibergensis c. IX. p. 287. inter Patritios Freibergenses fuerit relatus. Haynensem aliàs in Oratione jam dicta celebravi & *Johannem Henningum*, & *Johannem de Indagine* vel *ab Hagen*, quorum hic non paucos tantum illos, quorum ex Petro Albino mentionem tum feci, sed & alios ad stuporem usque multos à Johanne Trithemio, &

A

Johan-



Johanne Jacobo Frisio in Bibliotheca Gesneri & Simleri amplificata
f. 449. & seqq. recensitos scripsit. Sed quanquam *Johannem Henningum* Haynensibus recte adscripsit Albinus in *Misnicæ Provinciæ*
Chronico f. 338. de *Johanne* tamen *de Indagine* est, cur animi jam
pendeam; quippe qui velà Comitatu *Indago* dicto, de quo Hamelman-
nus in *de famil: mortuis* p. 129. cognominatus, vel *Nobilibus, ab Hagen,*
quorum profapia in Thuringia adhuc florere intelligo, videtur ac-
censendus. Ne autem oppido Haynæ demere manu altera, quod altera
dederam, videri possim, *Johanni de Indagine* substituo jam *Mattheum*
Henningum, qui artium liberalium Magister in hac Philyrea, SS.
Theologiæ item Professor, & Collegii Principalis majoris Collegia-
tus extitit, supremosq; Academiæ hujus fasces Anno 1505. tenuit.
Huic bigæ *Henningorum Haynensium* videtur addi posse & tertius *Jacobus*
Henningus, ut nobile sic Haynensium trinum aliquod compleri
queat. Ita enim Albinus l. c. f. 337. *Jacobus Henning von Hayn*
in Meissen bürtig/ist der Theologiæ Professor zu Leipzig gewesen. Und
unter seinem Nahmen gedruckt worden ein Sermon ad gloriam &
gratiarum actionem Dominicæ Passionis, welcher in der Bibliotheca Sim-
leri angezogen wird. Sed qui alibi, ut in cap. I. infra patescet, hu-
mani aliquid fuit passus, etiam hinc aberravit Albinus. *Jacobus*
enim idem est cum *Johanne Henningo*, nomenq; ei *Jacobi* perperam
& ex lapsu memoriæ additum. Nam idem liber à Simlero *Johanni*
Henningo tribuitur his verbis: *Johannis Hennigi de Haynis in Misnia*
Theologiæ Professoris, Sermo ad gloriam & gratiarum actionem Domi-
nice Passionis; nec *Jacobus* quidam *Henningus* in Bibliotheca Simleri-
ana reperitur. Fuit autem *Johannes*, quem Fabricius in *Annalibus*
urbis Misnæ jam *Henningum*, jam *Henningium*, jam *Henigium* vocat,
artium Magister, SS. Theol. Professor, Collegii Principum Majoris
Collegiatus, Canonicus Misnensis, & Anno 1499. Academiæ hujus
Rector, sed qui Misnæ tandem Anno 1527. teste eodem Fabricio,
tanquam Decanus Ecclesiæ illius, Canonicusque temporis illius
eruditissimus fatis cessit. Scilicet uti Ithaca ab Ulysse, Stagira ab
Aristotele, Philosophorum Principe, aliaque oppida & loca non ita
splendida ab indigenis clarissimis luminis quid accepere, ita Hay-
na quoque à duobus *Henningis, Johanne & Mattheo*, ut & *Cassare*
Bornero mirifice illustratur. Quanquam nec sola Hayna habet,
cur

cur præ cæteris Misniæ urbibus, oppidisque & vicis ob tria illa lu-
 mina velit cristas erigere. Nam nec fororibus ejus tam majori-
 bus quam minoribus ornamenta sua ac decora defuere aut adhuc
 defunt. Atque ut aliquot tantum Misniæ oppidorum mentionem
 faciam, protulit Torgavia, (referam eos tantum, qui memoriæ jam
 succurrunt, reliquos aliorum excussioni relinquens) protulit, in-
 quam, Torgavia, ut inde incipiam, *D. Johannem Meisnerum*, Theo-
 logum Wittebergensem, & *D. Eliam Rebeboldum*, Superint. Oscha-
 zientem, *D. Erasmum Unrube*, Jctum Wittebergensem, *D. Josiam
 Marcum*, Jctum Jenensem, *D. Andream Schatonem*, & *D. Tobiam
 Tandlerum*, Medicinæ Professores Leucoreos, & *M. Paulum Didy-
 mum*, Poetam Jenensem; Belgera *D. Andream Jabnum*, Jctum &
 Cancellarium Saxon. in inferiori Lusatia, & *D. Georgium Lebmannum*,
 Theologum, & Superint. Lipsiensem; Zorbigium *Johannem Eri-
 cum Ostermannum*, Varronem Wittebergensem; Delitium *Augusti-
 num Strauchium*, Jctum primum Wittebergensem, dein Electoris
 Saxoniae Consiliarium intimum; *Erasmum Schmidium*, Græcæ lin-
 guæ in Academia Witteberg. Professore, *D. Andream Peterman-
 num*, Medicum antehac Torgensem, jam Lipsiensem, & *M. Johan-
 nem Kbnium*, Illustris Portæ Rectorem; Eilenberga *D. Sebastia-
 num Schubartum*, Jctum Dresdensem, & Sereniss. Electoris Saxoniae
 in Appellationum Judicio Consiliarium; *D. Andream Mylium*, Ante-
 cessorem Lipsiensem, *L. Henricum Jonathan Werenberg*, Profess. in
 Augusto Weisenfelsensi, & quondam *M. Andream Poachum*, Ecclesia-
 sten Erfurtensem, auditorem Lutheri, & primum Tomorum ejus
 editorem (hunc Hallensem quoque Diaconum fuisse refert *Cl.
 Schmidius* in Chronico Cygneo p. 516. sed is in Catalogo Diaco-
 norum Hallensium non comparet, quod & *D. Gottfriedus Olea-
 rius* in Halygraphia pag. 77. monuit) Wurzena *D. Simonem Gedi-
 cum*, Generalem in Marchia Superintendentem, sed post tempora
 reformationis Marchiacæ, Misnensem, & tandem Episcopatus Mar-
 tisburgici Superintend. generalem; *D. Wolfgangum Mampbrasium*,
 Præfulatus Misnensis in Patria Superint. generalem, *D. Paulum Rö-
 berum*, Halæ primum Archiepiscopi Magdeb. Ecclesiasten, postea
 Electoralem Professore Primarium, ac Superint. generalem Wit-
 teb. *D. Abrahamum Tellerum*, Pastorem Lipsiæ Thomanum; & *D.*

Christophorus Danielem Schreiterum, Superint. hodie Wurcensem,
D. Corbinianum Brodkorbium, Regis Poloniae ProCancellarium, *D.*
Philippum Benewiz, seu *Apianum*, Episcopatus Wurcensis Praeposi-
tum; *D. Christianum Mamphrasium*, Jctum, *D. Johannem Schreite-*
rum, Jctum, & Praefulatus Misenenfis Syndicum; & *D. Christopho-*
rum Brunonem, Medicinae Professore Lipfiensem, & Facult. Medi-
cae Decanum, aliosque, quos exhibet Equus Wurcensis non cata-
phractus, sed togatus, h. è. Encomium Wurcena metricum Philippi
Benewiz seu Apiani Dresdae Anno 1648. editum; Grimma *M. Chri-*
stophorum & *M. Johannem Schellenbergios*, Poetas eximios, illum
Illustris Gymnasii ad Muldam Professore, hunc Scholae Freiber-
gensis Rectorem per annos XLVIII; & *D. Davidem Schwemlerum*,
Jctum, & Reipublicae Wratislaviensis hodie Syndicum; Coldi-
tium *Wenceslaum Lincum*, Luthero aestimatissimum, & primum Al-
tenburgensem, dein Noribergensem Concionatorem; & *D. Johan-*
nem Strauchium, Historiarum initio Professore Lipfiensem, postea
Jctum Jenensem, & tandem Giessensem primum; Leisnium
Petrum Benewiz seu *Apianum*, Mathematicum sui temporis cla-
rissimum, Professore Ingolstadiensem, & Caroli V. Imperatoris A-
stronomum; & *D. Johannem Andream Kunadum*, Superintend. h. t.
Eilenbergensem; Geringswalda *M. Johannem Thönnikerum*, Pa-
storem Tzschopaviensem & Ephoriae Chemnicensis Adjunctum;
Rochlitium *D. Paulum Pleisnerum*, Physicum primum Schneeber-
gensis, post Freibergensem Ordinarium; & tres *Matthesios*, *M. Lu-*
cam, *M. Johannem* (Lutheri commensalem, & Melanchthoni cha-
rissimum) & *M. Thomam*, quos feliciter hodie æmulatur *M. Cas-*
par Fiedlerus, patriæ suæ ibidem Archidiaconus & P. L. C; Kö-
nigsfelda *D. Christianum Chemnitium*, Theologum Jenensem, &
M. Theophilum Aenetium, Philosophum Salanum; Mitweida *An-*
tonium, Abbatem olim Cellensem, & *D. Sebastianum Gotfriedum*
Starckium, Superintend. Freibergensem; Chemnicium tres *Fabri-*
cios, *Georgium* (inter doctissimos Misnicos relatum, & Illustris Scho-
lae ad Albim Rectorem primum) *Jacobum* & *Blasium*; duos *Næ-*
vios, *Johannem*, & *Casparem*, quorum ille Dresdae in munere Archi-
atri Electoris Saxoniae, hic in Professione Medica Lipsiae ætatem
consumpsit: *D. Danielem Heinrici*, Theologum Lipfiensem; & du-

os hodie longe celeberrimos Fratres, *Esaiam & Samuelem Pufendorffios*, è quibus ille Regiæ Majestatis Suevicæ Cancellarium in Ducatibus Bremenfi & Verdenfi, hic ejusdem Regis Consiliarium aulicum agit atque Historiographum; Augustoburgum *L. Adamum Rechenbergerum*, utriusque linguæ & Historiarum Professore Lipsiensem, & *M. Andream Beyerum*, Rectorem antea Scholæ Freibergensis, nunc ibidem Ecclesiasten; Oedera *Georgium Morgenstern*, Juris quondam Pontificii Doctorem apud Lipsienses, & concionatorem plausibilem; Roswinum *Paulum Bachmann*, ultimum Cellæ veteris Abbatem, alias *Riparium* dictum, qui & in scriptis contra Lutherum *Paulum Amnicolam* se appellavit; Oschazium *D. Balthasarem Sartorium*, Theologum Jenensem, & *M. Job. Georgium Laurentium*, Illustris Portæ h. t. Rectorem; Radeberga *D. Gothofredum Cundisium*, Theologum Jenensem; Döbela *D. Johannem Höpnerum*, Theologum & Superintendentem Lipsiensem, & *D. Andream Kunadam*, Theologum Wittebergensem; Dippoldiswalda *D. Matthæum Judicem*, Centuriatorem Magdeburgensem; Misena *Johannem de Breitenbach*, Ordinarium Lipsiensem, & *D. Georgium Kummerstadium*, Cygneæ primum Syndicum, dein Consiliarium Electoralem Saxonicum; ut & *M. Jacobellum* illum, Petri Dresdensis Præceptorem; Pirna *D. Christianum Reinbardum*, Ecclesiæ Patriæ Superintendentem, & *D. Johannem Christophorum Nicolai*, Ephorum Ilenburgensem; Altenberga *Wolfgangum Meurerum*, Medicum & Philosophum Lipsiensem, & *Fridericum Leibnutzium*, Moral. Professore in eadem Philyrea; Scheibenberga *M. Christianum Lebmannum*, Superintend. hodie Annæmontanum; Annæberga, *D. Erasmus Sarcerium*, Theologum Lipsiensem, *D. Johannem Suevum*, Jctum Jenensem, *D. Georgium Sturciadem*, Medicinæ Professore Erfurtensem, *D. Michaellem Barthium*, Medicum & Philosophum Lipsiensem, *Gregorium Bersmannum*, Poetam primum Lipsiensem, postea Gymnasii Servestani Rectorem, & *D. Michaellem Wendlerum*, Moralium Professore Wittebergensem; Lösnicium *Johannem Zechendorffium*, Scholæ Cygneæ Rectorem in Orientalibus versatissimum; Schneeberga *D. Paulum Lobwasserum*, & *D. Johannem Monachum*, Ordinarios Lipsienses, *D. Andream Funcium*, Consulem primum Cygneum, dein Scabinum Lipsiensem, *D. Chri-*

Stophorum Piererum, & *D. Paulum Blumbergerum*, Jctos & Patriæ
suæ Consules, & *D. Davidem Lichtenhabnium*, felicissimum hodie
Medicinæ ibidem Practicum, ut & *Petrum Albinum*, Historicum Saxoni-
cum; Schöna inter Schneebergam & Cygneam *Adamum Siberum*,
Poetam & Polyhistora, Scholæ illustris ad Muldam Rectorem primum,
(neque enim Misnæ natus est, aut Chemnitii, ut alii asserunt, sed
Schöna, ut dixi, teste filio ejus Adamo Theodoro Sibero, Professo-
re Witteberg. in epistola ad Janum Gruterum scripta,) Kirchber-
ga *M. Benjamin Heydenium*, Pastorem Schneebergensem, & Epho-
riæ Zwiccaviensis Adjunctum; Werthavia *M. Paulum Odontium*,
Evangelicum primum Concionatorem in Stiria longe afflictissi-
mum (vide ejus Historicam Relationem Germanicam de carcere
ejus & periculis vitæ Anno 1602. editam,) postea Pastorem Oe-
derensem; *Tobiam Adami*, Jctum, & Saxo-Vinariensem Consilia-
rium; *D. Casparem Löscherum*, Pastorem hodie, & Superintenden-
tem Zwiccaviensem, & *M. Christophorum Cranziium*, Archi-Diaco-
num h. t. Freibergensem; Hartensteinium *D. Paulum Flemming*,
Medicinæ Doctorem, & Poetam Germaniæ decantatissimum; Lich-
tensteinium *D. Wilhemum Romanum*, Jctum Lipnensem; Glaucha
Georgium Agricola, Scriptorem in re metallica Aristoteli & Pli-
nio anteferendum; Ciza *D. Hieronymum Kromayerum*, Theologum
Lipsiensem, *M. Johannem Schiferdeckerum*, Superintendentem h. t.
Weisenfelsensem, & *M. Johannem Severinum Weisium*, Pastorem &
Ephorum hætenus Pegaviensem; Ronnenberga *D. Davidem Voi-
tum*, Theologum Jenensem & Wittebergensem; Altenburgum *D.
Johannem Christophorum Wexium*, & *D. Johannem Freisleben*, Jctos
Jenenses, & *M. Johannem Zeisoldum*, Philosophum Salanum; Meu-
selwizium *D. Samuelem Langium*, Superintendentem primum Pe-
gaviensem, dein Lipsiensem & Theologiæ Professore; Lucca *D.
Christianum Langium*, Samuelis fratrem, Medicinæ Professore Phi-
lyreum; Grötschium *D. Ambrosium Reudenium*, Theologum Jenen-
sem; Pegavia *M. Johannem Mülmannum*, Theologiæ Professore &
Ecclesiasten Lipsiensem; & *D. Andream Mollerum*, Physicum Frei-
bergensem Ordinarium, & Chronici Freibergensis autorem; Wei-
senfelfa *D. Antonium Turmerum*, & *D. Johannem Greislavium*,
in Patria Superintendentes, *D. Simonem Leisring*, Aulæ Darmsta-
dien-

diensis Proto-Ecclesiasten, & *L. Georgium Weisum*, Superintendentem h. t. Coldicensem; *D. Eliam Lujam*, Professore Medicinæ & Physicum olim in Patria, dein apud Suecos etiam & Danos ob felicitatem praxeos celeberrimum, & fratrem *D. Christianum Lujam*, Physicum Martisburgensem; ut & *L. Gothofredum Hoffmannum*, Advocatum apud Dresdanos felicissimum; Martisburgum, ejusque diocesis *D. Eustachium Möllerum*, Consiliarium Electoralem Saxonicum, & Capituli Martisburgensis Decanum, *D. Nicolaum Gutschmuthium*, Præfulatus Martisburgici Consiliarium, *D. Andream Nietnerum*, Archiepiscopi ultimi Magdeburgensis Archiatrum, *D. Gothofredum Adolphum Lujam*, Medicum Lipsiensem, & *D. Christianum Henricum Lujam*, Medicum Ottonia Danum, & Regii Consistorii Assessorem, *L. Gothofredum Sigism. Peiskerum*, Superintendentem Cygneum, *Ernestum Brotium*, Chronici Martisburgici autorem, & qui Misnicos hodie clarissimos facile splendore suo prægravat, *D. Adamum Christophorum Jacobi*, Jctum, & Sereniss. Electoris Saxonie in Appellationum Judicio ac Proto-Synedrio Consiliarium. Sed de Electorali Dresda quid dicam? quid de Lipsia celeberrimo Athenæo nobilitata; quæque ut olim tot *Pistorios*, sic hætenus *Höpfneros*, *Carpzovios*, *Ziegleros*, *Bornios*, *Romanos*, *Schacheros*, *Welschios*, *Franckensteinios*, *Thomasios*, *Bosios*, aliosque diffusissimæ famæ filios progenuit? quid de Freiberga, urbe Misniæ omnium amplissima, & metalliferarum primiceria? quid denique de Patria mea Cygnea, quæ, uti Scholam semper habuit doctissimis fidelissimisque Magistris instructam, ita equi cujusdam Trojani instar fuit, ex quo tot Viri studiis omnibus insigniter exculi prodierunt. At vero, quod Claros Freibergenses attinet, eorum bene multi à *D. Andrea Mollero* in Chronici Freibergensis Theatro repræsentantur, pluresque haud dubie ab eo, qui Chronici illius augmenta, editionemque novam jam mediatur, è tenebris in lucem producentur; quemadmodum & ego non unos hinc inde observavi, v. g. *M. Theodoricum de Vriberg*, Monachum doctissimum, *Stephanum Fortunium*, Theologiæ olim Doctorem Lipsiensem, *M. Laurentium Helwig*, Majoris Principum Collegiatum; ut recentiores complures taceam. Quod Claros Lipsenses, quorum densissima quædam est nubes, *Arbenis illi Lipsiensibus*

sibus, quas parò, quasque nuper pollicitus sum publice, à me reservan-
 tur. Nec despero fore, ut Chronico Electoralis Dresdæ Weckiano
 fors recudendo supplementi quidpiam etiam de Claris Dresdensibus,
 (quales è Theologis, *D. Fridericus Balduinus*, & *D. Balthasar Meisnerus*,
 Theologi Witteb. è Jctis *D. Christianus Lenzius*, Consiliarius Elect.
 Saxonicus, & qui ætherea aura adhuc vescitur, *D. Wolfgangus Casparus*
Martini, Jctus & Sereniss. Saxonix Electoris Consiliarius intimus, è
 Medicis *D. Johannes Pfeilius*, Electoris olim Mauritii Archiater, &
D. Johannes Kentmannus, Medicus scriptis clarissimus, ex Phioso-
 phis & Philologis *Augustus Buchnerus*, &c.) *Φιλόπατρις* aliquis ad-
 jiciat. Quod denique Claros Cygneos attinet, eorum longe
 plurimi in Chronico Cygneo à Viro clarissimo, *M. Tobia Schmi-*
dio pag. 467. & subseqq. in publicum famæ campum sunt producti.
 Sed cum & alii id genus Cygnei in librorum qua MSSorum qua
 impressorum excussione reperti à me fuerint, non possum non eos
 ex oblivionis veluti ergastulo eripere, & tanquam *Cygnos Quasi-*
modogenitos (quis enim Viros eruditos adagialiter Cygnos ap-
 pellari ignorat?) in publica luce sistere, præsertim cum superio-
 re anno à Magnifico Patriæ meæ Capite, cujus vel nutus mihi
 instar legis est, literis plane flexanimis, ut, si quid forte hinc in-
 de de Patria memoratu dignum excusserim, id ad Chronicon Cyg-
 neum augendum exornandumque conferrem, instimulatus fuerim.
 Ne autem *ἀπαιτός* in hoc, tumultuario licet, scripto progrediar,
 capitibus IV. persequar id instituti, & in I. Theologos, in II. Jure-
 Consultos, in III. Medicos, in IV. Philosophos, Philologos, aliosque
 eruditos Cygneos, quorum scilicet in Chronico Cygneo aut nulla
 aut exigua facta mentio est, in publicum veluti proscenium pro-
 ducam; stylo ufurus haud phalerato, qui Oratores decet, sed
 plano & incomto, qualis ab extemporaneo Scriptore potest expectari.
 Quos enim Oratione solenni celebrare in Panegyri Academica quadam
 institueram, eos ob sortem minus propitiam, & quia iter in Patriam
 meditabar, *ὑποχρεώσῃ*, in chartas hæcæ historicas conjeci, ut vel ideo
 non desperem, lectorem quemcunque, si quid forte in festinatione erra-
 tum à me, aut prætermisum fuit, non inclementius aliquid de me
 pronuntiaturum,

CAP.

CAP. I.
THEOLOGI CYGNEI,
Quorum in Chronico Cygneo nulla facta
est mentio.

Theologos aliquot Cygneos perpetua memoria dignos repræsentaturus initium non abs re facio ab illis, qui summum Academiae hujus Magistratum olim cum laude administrarunt. Sunt enim Rectores veluti Reges Academiarum ac studiosæ juventutis; quemadmodum & tanti id muneris Reges ac Principes æstimarunt, ut purpuram tanquam partem de splendore suo decisam iisdem tribuere non dubitarint. Ex his vero loco principe collocandus venit VINCENTIUS GRUNERUS, Cygneus, cujus merito nunquam non viridis Cygneis omnibus debet esse memoria. Erat is in Pragensi Academia à Carolo IV. Imperatore condita, jamque Studiosis confertissima Magister artium & Theologiæ Baccalaureus ingentis apud omnes ob eruditionem Scholasticam, eloquentiamque singularem æstimii; Sed cum Germani in tres Nationes divisi tum ob Hussitica dogmata magis invalescentia, tum ob tria sibi suffragia denegata Praga discedere decrevissent, is solenniter depositis per M. Henricum Boldenhamen Rectoratus Insignibus, Germanis non difficulter persuasit, ut in Principis sui, hoc est, Marchionis Misniæ FRIDERICI BELLICOSI ditiones se reciperent; cumque magna stipante caterva Praga discessissent (discesserunt autem ex Bohemia intra octiduum Magistri, Doctores, Baccalaurei & Studiosi ferme vices mille, & si Hageco habenda fides, quadragies mille) etiam Principem suum verticordia Suada sua sic inflexit, ut exulantibus Musis commodum in hac Urbe hospitium præberet; id quod factum est Ao. ær. Chr. MCCCCIX. Idem primus magna omnium consensione Theologiæ in nova Academia Professor, primus etiam Facult. Theol. Decanus constitutus, & post M. Joh. Ottonem de Monsterberg, & M. Helmoldum de Soltwedel tertius Academiae Rector Ao. 1410. fuit electus.

Lipsiensem Grunerum hunc facit Matthæus Dresserus in Isagoges Histor. part. V. de præcipuis Germaniæ urbibus p. 371. & Johannes Friderichus, Historiarum & utriusque linguæ post illum Professor in Panegyrico seculari de origine, incrementis & fortuna Academiæ Lipsiensis Ao. 1609. publice recitato, postmodumque edito p. 15. à Petro videlicet Albino, id ut crederent, sic inducti. Ita enim ille in Chronico Misniæ provinciali c. XXV. de eruditis Misnicis f. 335: Vincentius Gruner zu Leipzig bürger/ ein fürtrefflicher Schul-Lehrer zu seiner Zeit/ ist unter andern eine Ur-sach gewesen/ daß Churfürst Friedrich der Erste/ die Studenten/ so von Prage gewichen waren/ zu Leipzig aufgenommen/ und ihnen eine Hohe Schule gestiftet: Deswegen Er auch in derselben neuen Universität der erste Ordinarius Professor Theologiæ worden/ und dieselbe in ein gutes Aufnehmen bringen helfen/ &c. Sed Cygneum vel Zwiccaviensem, non Lipsiensem, fuisse Grunerum, tam certum est, quam quod certissimum. Sic enim Johannes Trithemius, Abbas Spanheimensis, gravissimusque in rerum Germanicarum Historiis autor, qui & Paulo Langio, Cygneo, Monacho Boznaniensi, laborum socio fuit usus in Catalogo Illustrium Virorum Ao. 1409. evulgato p. 37: *Vincentius Gruner de Zwicavia, Doctor Pragensis & fundator Gymnasii Lipsiensis, Vir in divinis Scripturis eruditus, & in Philosophia seculari egregie doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio; edidit non spernenda lectionis opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis cum gloria transmisit, &c.* Succinit huic Anonymus, à Joh. Joachimo Madero Helmstadii Ao. 1660. editus, à quo Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, præsertim Lipsiensi, Wittebergensi, & Francfordiana ad Oderam Academiis à fundatione ipsarum usque ad annum Christi 1515. floruerunt, Centuria fuit concinnata. Sic enim ille num. XXVII. *Vincentius Gruner, natione Misnensis, patria Zwiccaviensis, disciplina Lipzensis, Collegii Majoris Collegiatus, Vir in liberalibus & tota Philosophia undecunque doctissimus.* Hic post translationem Pragensis Studii in Lipzs multos per annos cum magno Scholarium proventus in Philosophia desudavit; atque cum pene totam vitam in aliorum eruditione absumpsisset, reliquit præter cetera quedam ingenii sui præclara monumenta pro pueris edita, quibus se memorandum mandavit; ex qui-

ex quibus superextant apud Lipzenses Grammatica lib. I. Rhetorica lib. I. Quæstionum disputatarum lib. I. & super Canonem missæ lib. I. & quedam alia, quæ temporis intercapedo interrumpit. Claruit autem A. D. 1410. Rector Studii. Nec absentiunt Catalogi Rectorum ante CC annos & ultra confecti; quippe in quibus & ipsis Vincentius Gruner de Zwicavia reperitur. Nimirum Lipsiensis fuit non patria Grunerus, sed studio, unde & recte Professor Lipzensis ab Henrico Panthaleone in parte II. Profopograph. f. 370. appellatur, qui & ex vero id encomii addidit: *Vincentius ille vir erat in Scripturis Sacris & humanioribus literis doctissimus, docendi tamen (pro more ejus seculi) Scholasticus*, Libros ejus quod attinet, à Trithemio, ejusque æmulo jam allegato laudatos, in plerosque illorum in excussione MSSorum Paulinorum superiore anno incidi. Extant enim in Paulina libri ejus de officio Missæ in membrana scripti; Extat compendium artium pro Baccalaureandis, Grammatica scilicet, Logica, Physica & Astronomia; extat & Rhetorica ejus, sive de compositione epistolari. V. Catalog. MSSorum Paulinorum p. 180. 324. & 360. Finem autem vitæ non fecit Lipsiæ Grunerus, sed in veteri Cella, celeberrimo olim Cisterciensium in Misnia cœnobio. Testatur id manus nescio cujus, qui verbis Trithemii ultimis ad oram hæc verba adscripsit: *in veteri Cella sepultus*; confirmatque idem Frater Michael Miris Galliculus, Monachus Cellensis, in epistola, qua Claudiani Mamerti Viennensis Galliarum Episcopi de statu animæ, ex MSSo Cellensi, quod nunc in Paulina extat, à Petro Moseliano castigatos & Basileæ 1520. editos Abbati Cellensi Martino de Lochau dedicavit: *Illustrem*, inquit, *Cellam reddunt Matthæus quondam Aulae regie monachus, ac Vincentius Grunerus, uterque in Cella sepultus* -- quorum alter Lipsiensis Gymnasii primus Decanus ex Pragensium Academia, in Cella grammata quædam pulchra, denique in officium Missæ explanationes conscripsit. Erat enim Vetus Cella famosum Cisterciensis Ordinis Cœnobium; in quo XIV. bonarum artium docebant Professores, fratrumque numerus ad octogenerium usque excreverat; habebat & Abbates longe doctissimos, interque illos Ludigerum, cujus Sermones & libri Azymorum in Paulina asservantur, & Martinum de Lochau, qui Collegium Lipsiense D. Bernhardi pro Fratibus Cisterciensibus olim exstruxit, &

Vincentium Grunerum in Cellam evocavit. Sed de hoc Cellensi Cœnobio, alio cum Deo tempore. Cum enim Bibliotheca ejus in Paulinam nostram translata cum aliis fuerit, non pauca de ortu & incrementis ejus excutere mihi licuit, quæ evulgare aliquando ad historiam Misniæ locupletandam atq; illustrandam constitui.

Vincentium Grunerum jure excipit M. PETRUS STORCH de Zwiccavia. Fuit enim & hic Theologiæ sub initia Academiae hujus Professor, ejusdemque Rector ordine IX. A. 1413.; & quemadmodum una cum Sympatriota Grunero ex Pragenfi Academia huc pervenerat; ita Studio ab Apostolica Sede jam confirmato, jubentibus Marchionibus Misniæ, Friderico & Wilhelmo, etiam nomen suum, cum Ottone de Monsterberg, Rectore primo, Grunero, aliisque plurimis subscripsit, docentibus id duabus antiquis Matriculis. Fuit alias & Collegii Principum Majoris Collegiatus, reliquitque Bibliothecæ ejus Registrum super IV. libros Thomæ adversus Gentes; Registrum item in quatuor Sententiarum libros; cujus in fronte Doctor Petrus Storch de Zwiccavia nuncupatur; annotavit etiam articulos, in quibus Magister Sententiarum à Doctoribus Sanctæ matris Ecclesiæ non teneatur; item versus Leoninos de libris Sententiarum, in quibus primus liber cum Aquila, II. cum homine, III. cum vitulo, & IV. cum leone comparatur; quæ IV. aliàs Evangelistarum, quanquam aliter disposita, sunt insignia; ut reliqua ab eo annexa taceam. Consanguineum haud dubie habuit *Laurentium Storch de Zwiccavia*, qui Ao. 1423. Matriculæ primæ fuit insertus; post quem & alius *Jacobus Storch de Zwiccavia*, Anno videlicet 1487. Rectore *Leonbardo Polnero*, Zwiccaviensi & ipso, & Decretorum Doctore, inscribi eidem meruit. Quemadmodum autem nulla profapia, quam illustris etiam sit, absque vomica est: ita Storchiorum quoque gens Cygnea carcinomate suo non caruit. Nam exinde procul dubio descendit & Nicolaus Storch, Cygneus, qui Pelargus aliis, Camerario Ciconia, Luthero Claus Storch dicitur, Anabaptistarum fax & tuba; sed qui, ut Chytræus in dedicatione Apocalyps. refert, Monachii in Bavaria metu & dolore animi miserabiliter fuit extinctus.

Petro Storchio subjungo JOHANNEM SCHIMMELPFEN-
NIG. Inscriptus hic fuit Matriculæ Ao. 1424. his verbis: Jo-
ban

hannes Schimmelpfennig de Zwicca ; factusque tandem & artium
Magister & Theologiæ Baccalaureus eruditionem non minus,quam
morum probitatem Academicis Patribus sic approbavit,ut dignus,
qui supremum honorum Academicorum conscenderet fastigium,
fuerit habitus ; sicuti & Rector electus est in ordine LXIV. Anno
1441. cujus rubrica in Matricula ita habet : *Rectoratus M. Johan-*
nis Schimmelpfennig de Zwiccavia, Baccalaurei SS. Theologiae.

Nonus ab hoc Schimmelpfennigio Rector Academiæ hujus
de Natione Misnica fuit M. CONRADUS THYME, (Anno vide-
licet 1445.) ; qui & ipse Zwiccaviensibus à CL. Schmidio in
Chron. Cygn. part. I. pag. 477. accensetur. Sed quanquam fami-
lia THYMORUM in Patria mea nunquam non fuerit florentissima,
egoque pro ardentissimo in patriam amore ejus gloriam augeri
magis,quam imminui velim, Conradum tamen hunc ad Thymos
Zwiccavienses pertinere,est cur subdubitem. Nam character ille,
de Czwickavia, quo Cygnei seculi illius plerique omnes sunt insigni-
ti, in Matricula non est additus. Ita autem legi, legoque adhuc in
illa : *Rectoratus Magistri Conradi Thyme, Cauçi, Cauçi* alias vel *Chau-*
çi sunt vetus Germaniæ populus, divisi in *majores & minores*, quo-
rum illi ab Amisia ad Visurgim, hi à Visurgi ad Albim se extende-
runt, si credas Phil. Cluvero in German. antiq. lib. III. c. 43. Sed
longe majus Chaucis attributum fuisse spatium, Beatus Rhenanus
recte lib. I. Rerum Germanicarum annotavit, ubi & veteres Fran-
corum sedes Chaucis extitisse vicinas, vel ipsam Chaucorum fuisse
gentem colligit. Quam Rhenani opinionem si præstruam, nihil
causæ est, quo minus Conradum Thymum Thuringum (nam Thu-
ringiam Francis conterminam quis nescit ?) fuisse credam ; tam
laxe scilicet Chaucorum voce sumta, ut Thuringos quoque &
Bructeros (quod & Franciscus Irenicus in Exegesi Germanica fe-
cit) complectatur. Consuadet id, quod inter Misnicos, quorsum ab
initiis Academiæ Thuringi quoque & Voigtlandi referuntur, non
alius Conradus appareat, quam *Conradus de Porta*. Solebant enim
seculo illo quamplurimi Inscripti à patria sua, omissis cognomen-
tis, denuncupari ; v. gr. *Ignatius de Zwiccavia, Erasmus de Zwicca-*
via, Johannes de Zwiccavia, &c. quemadmodum & non pauci, *de*
Porta in Matricula fuere cognominati. Accedit, quod non Cyg-

neæ tantum, sed & alibi gens quædam Thymorum disseminata est; quemadmodum & duo *Thymi* Freienstadio Silesii, Rectoratu Academiae hujus, & quidem *M. Christophorus Thyme* Anno 1458. & *M. Henricus Thyme* Ao. 1472. fuerunt functi. Sed ulteriori adhuc disquisitioni eam rem reservo, nihil interea certi decernens.

Possem alias, ne honoris quid Patriæ optimæ adimere velle videar, lacunam hanc veluti supplere, qui Licentiatis Theologiæ Lipsiensibus jam Ao. 1671. fui annumeratus. Nam postquam speciali Serenissimi Electoris Saxoniae JOH. GEORGII II. gloriosiss. memoriæ gratia ex Misnica Natione in Bavaricam Ao. 1678. transfilire mihi licuit, clavum Reipublicæ hujus literariæ bis, anno videlicet 1680. & 1684. tanquam Bavarus tenui. Sed nolo particulam, ut cum Grammaticis loquar, expletivam quandam agere, ne illud Maronis de Ænea accommodari mihi velle videar:

Se quoque Principibus permistum agnovit Achivis.

De cætero cum non Cygneos tantum, qui celebritatis quid fuerunt indepti, sed & alios, qui Cygneæ aliquantisper sessitarunt, in Chronico CL. Schmidii Cygneo, recensitos deprædicatosque videam, non possum non hoc capite, quo Theologos aliquot Cygneos repræsentavi, & *D. Hieronymi Dungersheimii de Ochsenfart* mentionem injicere, præsertim cum & *Johannis Tezelii*, famosissimi illius Indulgentiarum Papalium nundinatoris, qui Cygneæ aliquandiu Concionator extitit, in Chronico Cygneo part. I. p. 380. fiat mentio; ad quem locum & Joh. Petrei præfatio über das *Ablass-Büchlein* meretur conferri. Erat ille Dungersheimius natus in Ochsenfart Anno 1465. loco dioceseos Herbipolensis, & Magisterii titulo in hac Alma Anno 1489. exornatus; presbyterio dein in civitate Herbipolensi initiatus diversis in locis concionatorem egit, peractoque Italico itinere Lipsiam reversus & Collegii Principum Majoris Collegiatus, & Theologiæ Professor fuit factus; in quibus functionibus & Ao. 1539. atque adeo proxime ante Lipsiam reformatam, obiit. Is præter alia ingenii monumenta & viginti tractatus partim Latinos, partim Germanicos adversus Lutherum edidit, à quo etiam in epistolis Tom. II. pag. 264. non obscure *bos Lipsicus*, ut & *caput grossum Lipsiense*, de quo ipse Ochsenfart, (ita enim à patria fuit insignitus, uti Petrus Mosellanus, Georgius Fricken-

ckenhusius, Johannes Regiomoutanus, sexcentique alii) conqueritur,) appellatus est. Sed levis armaturæ miles non minus, quam cæteri, qui contra se ex Monachis insurrexerant, Luthero fuit visus; & ecce! parvam Lutheri epistolam, qua ingentem Dungersheimii molem, hoc est, prolixissimas epistolas uno veluti ictu subruit ac subvertit: *Martinus Lutherus Hieronymo ex Ochsenfart S. Sane optimas vos semper majores habetis, mi vir, & pessimas minores. Aliud non habetis in ore, quam Ecclesia, Ecclesia, hæretici, hæretici, & non vultis uni homini dictum: probate omnia, &c. At ubi Ecclesiam petimus ostendi, ostenditis nobis unum hominem Papam, cui omnia tribuitis, Et cætera.* Sed quid hæc ad tuam, inquires, Cygneam? Scilicet dum Presbyteris adscriptus variis in locis prædicatorem agebat Dungersheimius, etiam Cygneæ per annos aliquot concionatoris obibat partes. Ita enim ipsemet D. Ochsenfart refert in curriculo vitæ à seipso consignatæ, quod in excussione librorum Collegii Principum Majoris reperi: *Anno 1501. fui conductus prædicator in Zwiccam ad Beatam Virginem, ubi ad quartum annum permansi propter probitatem populi NB. tunc ibidem (ita de studio loquitur, quia Cygnea ipso adhuc superstitite mature à Papismo descivit.) Porro: Ao. 1503. fui missus cum duobus de Consulatu à Zwiccaviensibus ad Cardinalem Raymundum legatum à latere, qui pervenimus ad eum Wüittebergæ, cum & ipse Universitatem ibi introduxit, & Ecclesiam Collegiatam ibidem consecravit, ubi & ea, pro quibus missi eramus, expedivimus. (NB. Fuit eodem tempore Cardinalis idem Lipsiæ à Georgio Duce Saxonie magna cum pompa, & Oratione latina, quæ edita est, à Conrado Wimpina de Fagis exceptus, sed cum in cœnobio Paulino hospitaretur, idem à famulis ejus per incuriam fuit incensum, referente G. Fabricio in Annalibus Urbis Misnæ fol. 76.) Anno 1504. (ita enim pergit Dungersheimius) cum munere Zwiccaviensium & literis promotorialibus Facult. Theol. Lipsiensis ivi in Italiam post Pascha, &c.*

Ochsenfarto succedat M. Johannes Sylvius, Germanice *Wilde* *nauer* dictus, patria Egranus. Nam & hic Ecclesiastes fuit penes Cygneos, & cum Thoma Munzero, Anabaptistarum promacho Cygnea excedere jussu, ferram litigii reciprocavit; quemadmodum & Acta Egrani extant, quæ à Theobaldo in tr. Germanico de Spiritu

ritu Anabaptistico allegantur. De eo Joh. Manlius in Locorum
Communium Collectaneis, ex lectione haud dubie Melanchthonis,
p. m. 165. *Jobannes Sylvius Egranus concionator Cygneæ, & in valle
Joachimica, erat homo doctus, sed profanus: scribebat contra nostras
Ecclesias, edebatque libros plane tetros; nominabat Sophisma, quod
diceremus, homines non posse implere legem; & gratiam gratuitam
& reconciliationem coram DEO, quam sola fide propter mediatorem
apprehendimus, intelligebat promulgationem doctrinæ legis. Sed
quanquam nævorum Papisticorum non plane immunis fuit Egra-
nus, à Luthero tamen in literarum epigraphe optimus & integerrimus
amicus Tom. I. Epist. 76. b. item vere Theologus & Christianus
vir p. 140. salutatur; qui & in priore epistola sic ad eum: *Scripte
Domino D. Hieronymo Ochsenfarts, non mihi errores videri, quæ tu
asseruisti, sed veritates; videri etiam mihi suas propositiones pro majore
parte erroneas, & me paratum esse, nec diffidere, ut defendas & tuos
& meos errores. Si quid autem ex Scholasticis Doctoribus protulerit,
sciret se nihil apud nos agere, nisi verba perdere.* Scripsit etiam
Egranus Apologiam contra calumniatores suos, in qua Divam
Annam nupfisse Cleophæ & Salomæ, quod vulgo tum sentiebatur,
evangelicis testimoniis refellit, quæ Cygneæ Ao 1518. in 4. impref-
sa, & denuo cum Nicolai Rittershusii de gradibus cognationum
Noribergæ 1674. à Christophoro Arnoldi in 12. edita est; cui &
Petri Mosellani ad eundem Egranum de hac controversia epistola,
in qua divini verbi apud Cygneam concionator vigilantissimus
salutatur, est addita. Eum à Legendis Pontificiis abhorruisse vel
hæc verba Apologiæ sunt documento: *Ultinam Ecclesiastes nostri do-
gmatis hujus memores (Augustini videlicet, qui docet à doctrina
Christianorum omnia mendacia penitus esse removenda, ne labe-
factata semel autoritate veritatis, reliqua, quæ vel certissima sunt, du-
dia remaneant) non cum tanta fide tam superstitiosas fabulas decla-
marent, quas vel questus gratia, vel ut simplicium animos sibi devin-
cirent, pessimi nebulones impudenter commenti sunt, non veriti com-
maculare figmentis anilibus eam professionem, quam Christus, hoc est,
ipsa veritas instituit, & in sola veritate voluit consistere.* Pro sua
etiam innocentia provocat tum ad venerandos Sacerdotes, tum ad
*Senatum optimum gravissimum, & ad rudiorum plebeculam, quæ au-
res**

res suas perbenignas concionibus suis accommodaverint. Non plane tamen defecatum eum fuisse, ex alia Lutheri epistola ad Georgium Spalatinum Ao. 1522. scripta fat liquet. Sic enim in illa: *Cygnæ Thomas (Munzerus) cum suis monstra plantaverat. Egranus etiamnum portenta seminat, undique furit Sathan & insidiatur Evangelio.* Addit tamen & hoc: *At Cygnæ modo tribus egregiis viris Evangelistis benè provisum est, ipso Pastore optimo viro, & aliis duobus Magistris Sacerdotibus.*

Egrano commode associatur *Paulus Lindemannus*. Fuit enim & hic Ecclesiæ Cygnæ, uti à Luthero nuncupatur, id temporis concionator, sed male apud eundem audiens, eo quod Nicolai Hausmanni, Episcopi Cygnei, *autoritate contempta & fiducia applausus popularis inflatus* (verbis Lutheri utor ex epistola ad Hausmannum Ao. 1528. perscripta Tom. 2. p. 368.) *nimum auderet & insolesceret*; quam ob rem & speciales ad eum literas Lutherus dixerit, serio quippe eum hortatus, ut ne integros & pios viros offenderet, de Sacramento etiam ne tam frigide doceret, nec ipse tam diu à communione abstineret. V. Tom. epist. Luther. II. pag. 368. Quanquam verò id moniti suo non caruisse fructu ex epistola Lutheri subsequente, ad Hausmannum missa, licet colligere, (sic enim in ea Lutherus: *Quod tamen de Domino Paulo tam bene scribis, simul & ipsemet sic respondet candide, miro me affecit gaudio; CHRISTUS faciat, ut uno animo & uno ore glorificemus Patrem in gloriam sempiternam, Amen!*) ad pristinum tamen volutabrum rediit; quare & in aliis duabus ad Hausmannum literis dimittendum eum, sed honeste tamen, censet.

Lutheri mentionem dum facio, Lutherum ipsum, post accensam Evangelii in patria mea facem, septies, quod CL. Schmidius in Chronico Cygneo part. I. p. 381. memorat, non abs re rememoro, neque illud dissimulandum hic loci existimo, quod præter *Lutherum, & Fridericum Myconium*, Franciscanum hæcenus Monachum, sed Superintendentem postdeinceps Gothanum, etiam *Caspar Guttelius*, Theologiæ Doctor Lipsiæ creatus, & primum Augustinianus apud Wittebergenses Monachus, dein Ecclesiastes Islebiensis concionatus Cygnæ fuerit. Concio ejus impressa est Cygnæ 1522. in 4. de Evangelica, eaque constantissima veritate
C habi-

habita, vel ut verba Germanica habent in altera tituli facie: An die wieder Christlichen Soldaten/die groffen Hansen / welche das allerheiligste Evangelium wollen in Bedencken nehmen / disputiren und vermeinen / ob es auch gewiß wahr sey; Dieweil es durch Menschen beschrieben / und ihrem scharffen Verstand unbegreiflich / ic. aus Christlichem Gemüthe eine scharffe Anrede; Auch aus Brüderlicher Pflicht eine gegrünte Bermahnung und Stärcke / zu den einfältigen Schafflein Christi / was Trosts und Sicherheit sie sich zu ihrem Hirten Christo durchs Evangelium zuverhoffen haben durch D. Caspar Gütel zu Zwicckau predigt / geschrieben / und gegeben Sonntags nach Petri und Pauli M. D. XXIII. Conf. de eo Emmerlingii, Cygnei, & Superintend. Islebiensis Disputatio Synodal. pag. 5. 6. 7. 10.

Quod Superintendentes Cygneos post tempora Reformationis constitutos attinet, fuerunt tam indigenæ quam alienigenæ una cum Archidiaconis & Diaconis à CL. Schmidio ad Annum usque 1656. seriatim pag. 388. & seqq. recensiti; nec præteriti fuere cap. subsequente IV. quinam Cygnei extra patriam Ephori, Pastoresque in oppidis locisque aliis extiterint. Inter alienigenas (quibus post editum Chronicon L. Gothofredus Sigismundus Peiskerus, & qui hodieque Ecclesiæ Cygneæ cum laude præsidet, D. Caspar Löscherus, accesserunt,) fuit & M. Georgius Hala. De hoc cum nihil referre habuerit CL. Schmidius, non possum non supplementi quid ad locum illum pag. 392. ubi Halæ mentio fit, facere. Nimirum Varifcus fuit natione Hala, & pastor Waiblingensis in Ducatu Württembergico; Ita enim Martinus Crusius in Annal. Svevicis Tom. III. pag. 627. M. Leonhardo Wernbero (pastori Waiblingensi) successit M. Georgius Hala, vir trium linguarum doctissimus, patris mei quondam condiscipulus, qui anno 1548. ad me humanissimas dedit Argentinam literas, partim latine, partim Græce, partim Hebraicè scriptas, cum ego ad ipsum ante monitu patris Græce scripsissem, &c. Waiblinga autem discessit ob Sphingem illam Augustanam, factusque est Pastor Zwiccaviensis, sicuti & tanquam Pastor Zwiccaviensis Wittebergæ cum aliis pastoribus Confessioni Saxonicarum Ecclesiarum subscripsit. V. Phil. Melancht. Tom. I. fol. 144. Sic autem Crusius idem l. c. fol. 670. Discedebant ex Ducatu multi con-

cio-

cionatores, & docti viri, aliò; quibus locus propter Interim non erat, ut Erhardus Schnepfius, Tybingensis Professor, Jenam: M. Georgius Hala, Pastor Waiblingensis Zviccam, deinde Lipsiam. Et vero Lipsiam vocatus est Hala ad pastorum Thomanum obeundum Anno 1554. inque hoc munere Anno 1565. mense Januario obiit, referente D. Vincentio Schmuckio, Superint. Lipsiensi in præfatione der Hand-Postilla. Conf. Chronicon Lipsiense L. Schneideri p. 219. Filios reliquit duos M. Oseam Halam, Ecclesiæ Francofurtanæ ad Mœnum ministrum V. Crus. l. cit. p. 374. & Georgium Halam, pastorem in Kleinheidpach Illustris Comitatus Erpachici ad Mœnum, ut patet ex epigrammate Paralipomenis Crusianis ab eo annexo.

Cygneis autem illis, qui extra Cygneam pastoralis munere in regionibus oppidisque aliis fuerunt functi, addendi sunt Simon Sinapius, Matriculæ Lipsiensi Ao. 1535. inscriptus, Wittebergæ autem Ao. 1539. Magister creatus, & tandem Theologiæ Doctor renunciatus, Episcopusque in inferiori Lusatia constitutus; Johannes Pollicarius, Theologus Curlandiæ (de quo D. David Chytræus in epist. Ao. 1588. scripta, p. 824: *Misi in Curlandiam Job. Pollicarium Senem, qui casu ad nos venit, cum ante 30. annos Weisnfeldæ in Misnia Superintendens fuisset.*) M. Zacharias Vogel, Lowenburgensis Pastor, & Superintendens in Saxonia inferiori generalis; M. Wolfgangus Zeunerus, & M. Johannes Seidemann, Pastores Schneebergenses, M. Johannes Thönniker, Pastor Kirchbergensis, M. David Thönniker, Pastor Geringswaldensis, & Ephoriæ Rochlicensis Adjunctus, M. Andreas Ferberus, Pastor Werthaviensis, M. Stephanus Stepperus, Pastor Eibenstockensis, M. Johannes Fidlerus, Pastor Tschopaviensis; M. David Rost, Archidiaconus Hallensis ad D. Mariæ, M. Nicolaus Hecker, Archidiaconus Wurcensis; M. Paulus Amandus, Diaconus Jenensis, & qui hodie facundissimi apud Dresdanos sunt Ecclesiastæ, M. Bernhardus Schmidt, Chronicographi Cygnei filius, & M. Johannes Seebisch; nec non M. Johannes Fritsch, Archidiaconus Soraviensis, & Consistorii ibidem Assessor; M. Georgius Nörner, Diaconus Rochlicensis ad D. Petri. Taceo innumeros alios, qui oves sibi concreditas hinc inde in pagis verbi divini pabulo recrearunt, atque adhuc recreant, ex Cygnea oriundos. Neque enim capiendis illis tam arctus chartarum modulus sufficit. Unus tamen ex illis vel maxime hoc loco meretur nomi-

nari, *Georgius* videlicet *Ferberus*, *Cygneus*, & *Pastor Mofellanus*. Nam cum Anno 1577. *Cygneæ* Pastores inspectionis Superintendentum, *Cygnei*, *Neapolitani ad Orlam*, *Oelnicensis*, & *Plauensis* Formulam Concordiæ, præsentibus D. *Nicolao Selneccero*, Superint. *Lipsiensi*, aliisque à *Saxonix Electore AUGUSTO* deputatis, in templo perlegissent, sibi que scrupulos omnes, quos habuerant, plane exemptos esse testati, libro subscripsissent, *Georgius Ferber*, *Pastor in Musel* (verba sunt ipsius *Selnecceri* in *Recitationibus*) concludens reliquorum sermonem, *aureum*, inquit, *boc volumen placet, & placebit, inque eo Musellanus fideliter studebit, id quod manu sua testatur, quoniam liber ex corde ipsius amatur*; qui *Ferberus* & in altera *Recitationum* editione, cui notationes breves contra *Calviani* cujusdam *Johannis Balæi* calumnias sunt adjectæ, id elogium à *Selneccero* post fata pag. 90. retulit: *Hic Vir per Christum jam evocatus ex hac miseriarum valle constans in Confessione, qua libro Concordiæ Christianæ expressa est, vivit cum ipso lætus in æternum, & Baalem (Balæum) suo tempore judicabit.*

CAP. II. JURECONSULTI CYGNEÆ ORIUNDI,

Quorum in Chronico Cygneo aut nulla, aut minus expressa facta est mentio.

Quemadmodum in Capite antegresso *Cygneis* illis *Orchestra* assignavi, qui tanquam *Theologi summa Academiae* hujus gestarant gubernacula, ita non immerito & eos, qui è *Jcto-*rum ordine in eodem dignitatis apice fuerunt constituti, loco principe jam exhibeo. Fuerunt autem *Rectoralis* purpura olim conspicui non *JOHANNES* tantum *HEROLDUS*, artium *Magister*, legumque *Doctor*, & *LEONHARDUS POLNERUS*, artium & *Decretorum Doctor*, (quorum ille in hac *Philyrea*, ut recte *CL. Schmidius Chron. Cygn. part. I. p. 477.* annotavit, Anno 1479. hic Ao. 1487. *Rector* extitit) sed & *CASPAR SCHICKER* in *Academia*

mia Wittebergenſi, Decretorum ibidem Doct̄or, Canonicus Colle-
 giatæ Eccleſiæ omnium Sanct̄orum, ejuſdemque Syndicus. Recto-
 ratum autem Academia illius adminiſtravit Ao. 1509. Rector or-
 dine XIV. V. Academia Wittebergenſis ab Anno 1502. uſque ad
 A. 1655. à Gottfrido Svevo, Leorino-Sileſio & Cod. Prof. Publ. de-
 ſcripta, in qua ad Annum 1509. iſta leguntur verba: *RECTOR ve-*
nerabilis & egregius Dominus CASPARUS SCHICKER, Decretorum
Doct̄or, Canonicus, & Scholaſticus Collegiata Eccleſiæ omnium Sanct̄o-
rum Wittebergenſ. Conf. Athenæ Witteb. Andr. Sennerti p. 58. Cyg-
 neum autem fuiſſe SCHICKERUM teſtis eſt Catalogus Doct̄orum
 in utroque Jure in Academia illa promotorum, ab eodem Svevo
 editus, in quo tertio loco deprehenditur CASPAR SCHICKER, *Zwic-*
cavienſis Syndicus Eccleſiæ omnium Sanct̄orum.

Memoratu alias digni è Cygneis duo illi Jcti, CHILIA-
 NUS KOENIG, & GREGORIUS HALOANDER, alias Hoffmann/
 vel maxime fuerunt viſi D. Joh. Andreae Quenſtedio, Theologo
 Wittebergenſi, in Dialogo de Patriis Illuſtrium doctrina & Scri-
 ptis virorum, in voce ZWICCAVIA p. 229. Nam ille GEORGII,
 Ducis Saxonix fuit Cancellarius, proceſſumq̄ judicarium tum ex Ju-
 re Cæſareo, tum ex Saxonico collectum edidit; hic vero Pandectarum
 celeberrimus fuit emaculator, ſed qui, poſtquam ad Germaniæ
 tumultus evitandos in Italiam ſe contulerat, *Italia cælo Transalpi-*
nis nationibus præclara ingenia invidente febr̄i ardenti correptus ſep-
timo die acerbiffimis cruciatuum doloribus confectus eſt, magno damno
Studioſorum Juris, ut verba habent Joh. Opmeeri in Chronograph.
 p. 688. Conf. Vincentius Obſopœus ad lib. III. Anthol. pag. 427.
 Sed de Duum-Viris hiſce Cygneis jam dictum in Chronico Schmi-
 diano p. I. p. 478. & ſeqq.

CHILIANUM KOENIGIUM in Syndicatu anteceſſerunt JO-
 HANNES KOCH, & PAVLVS HASE vel LAGVS, I. V. Doct̄ores. Fu-
 runt autem & hi Cygnei non minus, quam KOENIGIVS, uti ex matri-
 cula Academia hujus prima, cui KOCHIUS Ao. 1479. HASIUS,
 A. 1482. tanquam Cygnei ſunt inſcripti, perſpicere mihi licuit.

Poſt hos memorandus laudandusque venit LAURENTIUS
 URSISALIUS, ſeu *Beerensprung* / Vir magnæ prudentiæ, erudi-
 tionisque ſingularis, idemque conſulari dignitate in patria maſta-
 tus.

De eo Georgius Agricola, Germaniæ Plinius, in Bermanno sive de re
 metallica p. 928. Ibi (Zwickaviæ) magistratum gerit Laurentius
 Ursifalius, quem doctum & ex Philosophia nobilem & clarum Luteciæ
 nobis remiserunt; & Janus Cornarius Zwickaviensis in Epistola, quæ
 Senatui populoque Zwickaviensium Universæ rei Medicæ ἐπιτετα-
 φήν seu enumerationem, Basileæ A. 1529. in 4. editam, dedicavit.
 Nam post laudes alias in Senatum amplissimum effusas, relinquo, in-
 quit, etiam alia, quæ plurima in politicis ad optimas quasque veterum
 formas a vobis sancita, possem enumerare, quorum ipsi inter vos mul-
 tis jam annis summa concordia aut estis auctores, aut a majoribus re-
 ceptorum integri custodes, quæ proponere non vererer, si pergeremus nos
 juniores vere esse aliquando, quod vos omnes auditis ac vestri NB. Lauren-
 tiique Ursalii similes, quem virum tanquam absolutum exemplar vete-
 ris Romane eruditionis, eloquentiæ, integritatis, ac præcipue bonorum
 morum nomino, in vestra autem Republica Consulem primarium, planè
 isto loco, & vita longissima dignissimum.

Ursifalio, sive eruditionem sive gravitatem morum spectem,
 non absimilis fuit M. OSWALDUS LOSANUS, Consul patriæ suæ
 spectatissimus; qui etiam, uti largissimo benedictionis divinæ imbre
 fuerat irrigatus, ira non tenues in paupertinas Musas rivulos,
 qui *Stipendia Lasaniana* hodieque audiunt, deduxit, dignus vel hoc
 nomine, qui a Musis celebretur identidem, ipsisque æternitatis tabu-
 lis inscribatur. De eo intelligo ista Melanchthonis verba ad Jo-
 ach. Camerarium perscripta, Synchronismo sic svadente: *Cygneam
 proficisci cupio; amo enim Consulem, & propter summum ipsius candore-
 rem, & quia de Schola literaria optime meretur, & propter philoso-
 phiam in odio est.* V. Epist. Melanchth. ad Camerar. p. 499. edit.
 Lips.

Cygneus inter Syndicos & Consules fuit & D. NICOLA-
 US REINHOLDUS, isque cum de patria universa, tum de Schola
 imprimis id temporis florentissima plane insigniter meritus. Nam ut
 Scholæ de doctissimo dexterrimoque Rectore post obitum M. Georgii
 Thymi prospiceretur, Senatus amplissimi nomine profectus est Witte-
 bergam ad Phil. Melanchth. cum Camerario quoque ea de re collaturus,
 si Lipsiæ eum reperisset. Sed nec illa profectio fuit frustranea. Fa-
 ctum enim, ut svasu Melanchthonis non alius Scholæ Cygneæ Re-
 ctor,

quam ESROMUS RUDINGERUS Pabebergensis & Camerarii
 civis ac gener, vir certe longe eruditissimus, fuerit electus; qui & hoc
 officio ab ipso Socero (at quanto viro!) Latina oratione inter Scholæ
 Cygneæ parietes inauguratus est. Mentionem Reinholdi hujus fa-
 cit Melanchthon in literis ad Esromum scriptis, quæ *αὐτόγραφοι* ha-
 bentur in Paulina nostra: *Expetit, inquit, amicitiam tuam hic noster*
amicus Doctor Nicolaus Cygnei Senatus σύνδικος, qui de schola Urbis
Cygneæ um Domino Joachimo deliberaturus erat. Sed cum iter in patri-
am ingressum esse audivissemus, ac in sermonibus de virtute Soceri men-
tio tui facta esset, petivit, ut aditum ei ad te patefacerem meis literis.
Quæso igitur, ut eum amanter excipias, audies recitantem historiam
de Cracoviensi Schola memorabilem. Esromus autem in moderamine
 Scholæ Cygneæ non diu substitit, vocatus quippe in Academiam
 Wittebergensem, in qua in decimum usq; annum Philosophiam, Phy-
 sicam imprimis, Ethicam, Græcasque literas, prout ipse in proœmio re-
 fert, paraphrasi psalmorum præmissa, publice docuit, Phil. Melanch-
 thonis Collega, amicusque intimus. Sed & Wittenberga, & quidem
 sponte sua tanquam doctrinæ Calvinianæ amasius, discessit in Mora-
 viam ad Fratres Confessionis Bohemicæ, cumque in Evanzizensium
 Gymnasio, in quo & paraphrasin Psalmorum adornavit, aliquot par-
 tibus comprehensam, & Gorlicii in Lusatia A. 1581. typis impressam,
 per aliquot annos bonas literas docuisset, per *παράλυσις*, morbum in
 illa gente frequentem, *ἄχρη* & *ἀπρη* (quæ duo verba ipse nomini suo
 in charta adjecit) factus, ex Moravis jam senex ad affines suos Joa-
 chimum Camerarium, Medicum Noricum, & Philippum Camera-
 rium Jctum, Reipubl. Noricæ Consiliarium, & Academiæ Aldorffinæ
 Cancellarium, Noribergam venit, & exinde Aldorffium vectus ali-
 quamdiu ibi vixit, jucundissima usus consuetudine Academiæ illius
 Professorum, imprimis Hugonis Donelli, celeberrimi juris Anteces-
 foris, tandemque uno eodemque cum Donello anno, A. videlicet 1591.
 cum & ambo curriculum vitæ per annos LXIIX transegissent, obiit; fide
 optima sic referente Affini ejus, Ludovico Camerario, Joachimi filio
 & Joachimi nepote, in præfatione præmissa Huberti Langveti episto-
 lis ad Joachimum Camerarium Patrem & Filium, quondam ab eo
 editis & Lipsiæ 1685. recufis, qui & illud de Esromo addit: *Ego quo-*
ties senem aspexi, miratus sum in corpore tam male affecto ἔσκελέτω

non absimili tam igneum & vividum spiritum, cum fortunam adversam suam pene videret, & saepius se per jocum ad amicos appellaret Claudium Claudum. Nam in familiari sermone mirifice jucundus, & ingeniose facetus, ideoque omnibus bonis pergratus fuit. Sed hæc de Efromo velut in transitu.

Inter Syndicos Consulesque Cygneos fuit & D. ANDREAS FUNCKIUS, qui quamvis Cygneus non extiterit, dignus tamen omnino est, cujus memoria velut e sepulchro hic loci eruatur. Fieri autem id poterit, si vel epitaphium ejus, quod in vetere, quod vocant, Lipsiens. cœmeterio hodieq; legitur, huc apposuerim. Id ita habet: *Clariss. Viro. DN. D. ANDREÆ FUNCCIO J. C. Schneeberg. qui pietatem sincerè coluit, bonestatem unicè dilexit, Cygneam Urbem Consul multis annis prudentissime administravit, Senator Reip. Lips. sapienter præfuit, inibiq; Scabinus juri publice dicundo diligentem operam dedit, atque in summo Provinciali judicio Illustr. Elect. ac Duc. Sax. advocatorem multis fideliter utiliterq; præstitit; heu! Marito suo amantiss. dulcissimoque uxor ejus superstes conjugali amore & affectione ducta mœrens F. C. qui postquam vixisset annos XLV. ex hac vita pie decessit 7. id. dec. Anno Sal. M. D. LXXIII.*

Post hunc tacendus non est JOHANNES TEUCHERUS, Cygneus, qui postquam in hac Philyrea summam Philosophiæ A. 1570, decessisset lauream, Jenam se contulit, ubi etiam & Doctor juris renunciatus, & Curia provincialis, quæ illic est, Advocatus fuit adscriptus; & qui Juris Practicum hodie in patria famigerabilem agit, D. SALOMON GOETZIUS, D. NICOLAI GOETZII, J. C. Cygnei filius, ut & alii, qui causis civilibus feliciter adhuc patrocinantur, sed quos futuro Chronici Cygnei continuatori commemorandos relinquo. Nec silentio obnubilandi sunt illi hoc loco Cygnei, qui, post acquisitam non proletariam Legum scientiam, spectabiles diversorum districtuum, judiciorumque præfecti extiterunt; qualis olim fuit WOLFGANGUS ADAMUS OPELIUS, præfectus primum Wurcensis, dein prætor patriæ jurisperitissimus; ZACHARIAS MARTINI, (cujus frater M. TOBIAS MARTINI Superintendens Weidanus erat,) præfectus Electoralis Saxonice in Elbenau; DANIEL ZAHMSEIL, Quæstor Schœnburgico - Wexelburgicus, cujus filius cognominis DANIEL ZAHMSEIL, post approbatas fidelissimas Celsissimo Duci Holsatiæ in
Wei-

Wiesenburg residenti operas Prætura apud Cygneos summa cum laude jam fungitur; quique exquisitæ prudentiæ dexteritatisque laudem sibi jamdudum comparavit, WOLFGANGUS FERBERUS, Hæreditarius in Taldis, & districtus Plaviensis Præfectus longe amplissimus, ut plures alios id genus Cygneos jam prætervehar.

Sed nec alii Jcti hoc seculo non fuerunt supremo Themidis axiomatico exornati, ingentibusque in Patriam meritis conspicui; quos inter gemmarum instar exsplendescunt D. DAVID PIT-SCHIUS, D. JOHANNES GEBHARDUS, & D. WOLFGANGUS ANDREAS REYHERUS, Viri certe respondendi de Jure solertia clarissimi, & de patria sua, cujus fasces consulares gessere, supra quam dici potest, meriti, quorum medius GEBHARDUS, uti & Syndicatu Cygneæ fungebatur, ita ejus os facundissimum erat, vicinarumque terrarum commune veluti Oraculum. Sed encomio meo longe superior est, qui hodieque superat (atque utinam diutissime superet!) Vir magnificus ac prænobilissimus D. DANIEL FERBERUS, Jctus consummatissimus, Sereniss. Electoris Saxonæ in Appellationum Judicio Consiliarius, Patriæque Consul ac Syndicus longe splendidissimus, qui, uti Principi suo CHILIANUM KOENIGIUM alterum, atque GEORGIUM KUMMERSTADIUM alterum, ita Patriæ suæ URSISALIUM alterum se repræsentat. Quod si fundamentum Reipublicæ liberorum est educatio, si fortes fortibus, & boni bonis plerumque generantur, si eadem in juvenibus & adolescentibus se produnt, quæ in Patre olim, indicia, neque nulla mea est, qui de ingeniis judicium ferre aliquod longo usu didici, conjectatio, affirmare certe non dubito, Cygneam meam brevi FERBEROS ex uno duos imò plures habituram. Nimirum ut Seneca in Troad. Act. 3:

*Generosa in ortus semina exurgunt suos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem
Cervice subito celsus, & fronte arduus
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit, & cælo nemus.*

D

Enim-

Enimvero maſte te eſſe jubeo hac felicitate, dulciſſima Patria, quod talem naſta ſis gubernatorem, qui & vetuſtate generis, & celebri- tate nominis, & meritis in commoda tua, & prudentia civili guber- nandique Remp. peritia immortale tibi decus & conciliavit du- dum, & impoſterum, DEO hominibusque applaudentibus, longe maximum conciliabit !

FERBERO huic meritiffimo ſuo ſubjungo Virum nobiliſ- ſimum & excellentiſſimum MAURITIUM GERHARDUM, Affini nempe Affinem ; FERBERUS ſiquidem Sororem hujus ANNAM ROSINAM GERHARDIAM uxorem jam olim duxit, emendatiſ- ſimi exempli Matronam, matremque ſummopere ob tot frugi filio- rum proventum celebrandam ; quemadmodum & ſapientiſſi- mus Regum laudes uxorum in hoc terminat, ut in portis, hoc eſt, in ipſo Reipublicæ meditullio celeberrimas eſſe contendat ; & Ro- manæ fidicen lyræ, cum Imperii Auguſti, Principis optimi, com- moda commemorafſet, uxorum caſtitem ac fidem, liberorumque paterni vultus imagine ſplendicantium compositos mores non po- ſtremo loco collocat. GERHARDUS autem jam dictus, uti in herbeſcente ætate, qua ipſi eram quàm conjunctiſſimus, jam magni aliquid ac minus uſitati minabatur, ita abſoluto Juris in Acade- miis ſtudio, confectisque aliquot itineribus inſignia prudentiæ dex- teritatisque apud celiſſimos Principes edidit ſpecimina ; ſicut & hodieque Sereniſſimi Saxonæ Ducis JOHANNIS GEORGII, in Eiſenach reſidentis, longè ſpectatiſſimus eſt Conſiliarius ; cui tanquam ἀτέκνω non vegetas tantum animi corporisque vires, ſed & thalamum ſœcundum, prolemque paternarum ac maternarum virtutum hæredem non apprecari hoc loco nequeo.

CAP. III.

MEDICI CYGNEÆ ORIUNDI,
Quorum in Chronico Cygneo partim nulla,
partim parcior facta eſt mentio.

SI vel unicuſ JANUS CORNARIUS Cygneæ fuiſſet natus, ſat
abun-

abunde celebritatis exinde haberet Urbs optima. Est enim ille non Cygneæ tantum, sed totius Germaniæ & rei literariæ decus atque ornamentum immortale. Nomen ei in lingua patria fuit *Hanboth*/vel *Hagenboth*/quod *Cynosbati* fructum sonat ac denotat; quem cum non satis ea in re peritus præceptor quidam ejus cornorum appellatione reddi posse falso opinaretur, *Cornarii* nomen ei indidit, ac nemo corna esse Latinis fructus illos, quos *Hagenbothen*/vel *Hanbothen* nos vocamus, imperito adhuc persuasit; in qua opinione cum diu, præceptori suo multum tribuens, permanisset, serò tandem agnovit errorem, & quidem tum demum, cum *Cornarii* nomine jam inclaruisset, ita, ut retinere etiam tamdiu usurpatum, quam serò immutare postea, consultius videretur. Refert hæc *D. Michael Barthius* epistola dedic. in *Bucolica Virgilia*. Quæ si legisset *Martinus Mylius*, *Horti Philosophici* autor, non id verborum scripsisset p. 204. in tit. de *Corno*, von *Cornelbaum*: *Virgilius vocat corna lapidosa, quo epitheto deceptus Cornarius, cui cognomen erat Hagenboth, à cornis potius, quam à Cynosbatis sese cognominavit.* Deceptus enim fuit præceptor ejus, non ipse *Cornarius*, qui cum semel hoc nomine Orbi literario innotuisset, mutare illud in aliud haud sustinuit.

Cygnæus Variscus audit *Cornarius M. Adriano Beiero*, *Ecclesiæ Jenensis Archidiacono* in *Syllabo Rectorum & Professorum Jenæ* p. 861. (Fuit enim *Cornarius* primus *Facultatis Medicæ* in *Academia Jenensi* recens condita *Decanus*, ubi & *apoplexia* correptus *Ao. 1558. d. 16. Martii* obiit, in templo *Michaelis* sepultus, & *epitaphio*, impensis *Academiæ* erecto, condecoratus.) Sed perperam; quanquam & alii autores, *Johannes* puta *Schonerus*, *Mammeranus Lucemburgius*, *Eberhardus Schultesius*, & *Andreas Reyherus* in *Margarita Philosophica*, *Cygneam* inter *Voigtlandiæ* Urbes referunt. Tametsi enim *Cynea* nostra in conterminio *Voigtlandiæ* sit sita, *Voigtlandica* tamen non est, sed ad radices montium *Sudetorum* condita semper *Misniæ* latius acceptæ urbibus annumerata est; quemadmodum & olim, priusquam à *Fridrico Forti* seu *Admorso*, *Marchione Misniæ* in potestatem redigeretur, *Misniæ* urbs *Imperialis* non minus, quam *Chemnitium* & *Altenburgum*, aliæque, extitit. Sed nimirum eodem errore *Corna-*
rius,

rius, ut & *M. Paulus Amandus*, Cygneus (fuit enim hic Magister Wittebergenfis quidem, sed Jenæ inter Facultatis Philosophicæ Adjunctos omnium primus, Diaconusque postea Jenensis) Variscus Baiero lib. cit. p. 515. dictus est, quo *D. Paulus Flemming*, Poëtarum Germanicorum facile princeps, qui Hartensteinii in ditione Schönburgica fuit natus, Hartensteinensis Variscus à quibusdam appellatur.

Libros quod attinet, quos Cornarius aut ipse scripsit, aut ex Græco in Latinum sermonem transtulit, referuntur, & illi quidem in Chronico Schmidiano; sed longe plures refert filius ejus *Diomedes Cornarius*, Medicus Viennensis, in præfatione ad Lectorem, quam Consiliis suis Medicinalibus Lipsiæ Ao. 1599. editis præmittit, quos non enumerare exinde, quia liber non ubique est obuius, non possum: Nimirum latine redditi ab eo sunt (sequuntur verba Diomedis) *Partbenius, Artemidorus, Constantinus Cæsar, Adamantius, Xenophontis*, item *Platonis Symposium, Allegoria fabula Tantali, Sphingis, & Circes ex Psello. Epiphanius, Basilus, Synesius, Chrysostomus de præstantia Episcopalis ac Sacerdotalis muneris. Hippocrates, Galenus, Aëtius, Paulus Aegineta, Dioscorides, Plato totus, in quem ob parentis mei obitum, Achates Cornarius, quoque Medicinæ Doctor, frater meus genuinus, præfationem scripsit, ac opus hoc ut imprimeretur, anno Domini 1561. sollicitus fuit. Plutarchi aliquot libelli, reliquorum translationibus revisis & castigatis. Ejusdem Plutarchi libelli, utrum aqua aut ignis utilior existat; de primo frigido: de Stoicis contrarietatibus, de placitis Philosophorum libri quinque. Hippocrates Græcus, & Galenus Græcus, castigatissimi. Similiter Marcellus Medicus latinus castigatus. Dioscoridis Græcus totus recognitus. Macer de re Medica lib. V. Libelli de peste duo. Medicina sive Medicus DIOMEDI filio inscriptus liber unus. Orationes due; altera Hippocrates sive Doctor verus, altera de rectis Medicinæ studiis amplectendis. Libellus de conviviorum veterum Græcorum & hoc tempore Germanorum ritibus, moribus ac sermonibus. Item de amoris præstantia, & de Platonis ac Xenophontis dissensione. Eclogæ decem in Platonem à Jano Cornario conversum. Emblemata in Dioscoridem Latinum, singulis capitibus adjecta. Propemptica duo. In Paulum Aeginetam dolabellarum lib. VII. In Galenum κατὰ τόπους comment.*

Med.

Med. lib. X. *Εμπεδοκλή* sive enumeratio universa rei Medica. Dis-
sertatio de ciborum receptaculis. Oratio habita Basileæ in laudem
Hippocratis, cui titulus est: *Quarum artium & linguarum Medico o-
pus sit.* Oratio de obedientia. Oratio in laudem peregrinationis.
Oratio habita Marburgi in V. Doctorum promotione Ao. 1549. Ora-
tiones sive Fuchseides tres. Oratio habita Genæ super aphorismum
Hippocratis l. apb. I. *Vita brevis, ars longa, &c.* Theodoretus im-
perfectus, quem ex Græca in Latinam linguam ad medietatem fere
operis istius transferre cœperat.

Quænam uxor fuerit Cornarii, Curriculum vitæ *Blasii Fran-
ci*, Cygnei non ita pridem lectum me docuit. Habetur illud in D.
Georgii Weinrichii, Superint. Lipsiensis Concionum funebrium
part. III. pag. 790. & seqq. ex quo illa huc placet transcribere:
Der Weiland Ehrenveste und Wohlgelahrte Hr. Blasius Franck/
der ältere/ Churfürstl. Sächsischer gewesener Kornschreiber ist sei-
ner Ankunfft und Geburth von Zwickau/A. 1525. eben im Bau-
ren-Kriege jung worden/ und von Christlichen und ehrlichen Eltern
gebohren. Sein Vater hat auch geheissen Herr Blasius Franck/
und ist anfangs des Orts ein Tuchmacher gewesen / nachmahls
aber / da er einen Gasthoff ererbet / ist er ein Gastwirth worden/
und hat auch gar ein ehrliches Alter / nemlich 78. Jahr/erreicht.
Seine Mutter hat geheissen Clara / derer Vater Herr Johannes
Göppfert/ ein Raths-Herr und Gastwirth des Orths gewesen ist.
Diese Clara hat mit ihrem Ehemanne/ dem alten Blasio Francken/
zu Zwickau seel. etliche 50. Jahr im Ehestande gelebet / und durch
Gottes Seegen 16. Kinder gezeuget / von denen aber nun nicht
mehr als eine einige Tochter / Fr Christina / Herrn Wolfgang
Trifussens zu Pönig eheliche Haus-Frau noch am Leben ist / und
ist gedachte Clara 18 Wochen na: ihres lieben Herrn seeligen
tödlichen Abgang im 75. Jahr ihres Alters verstorben. Sie ist
aber auch eines ehrlichen und fürnehmen Geschlechts gewesen / wie
denn ihre Schwester Frau Ursula / weiland zur Ehe gehabt den
fürtrefflichen Medicum, Janum Cornarium, Medicinæ Doct. und
weiland Academiae Marpurgensis & Jenensis Professore, wel-
cher den Platonem, wie auch etliche Medicos Græcos in latinam
linguam tranferiret hat / und in Italia in solcher autorität gewesen /

Daß/wann man seines Nahmens gedencet / noch heutiges Tages ihm die Itali mit entblöfung des Haupts eine Ehre erzeigen solen. Legi equidem & Leonhardo Fuchsio, Medico Tubingensi, qui Cornarium habuit ἀντίπαλον, tantæ in Italia & Gallia fuisse autoritatis, ut ad ejus quoque nominis Medicinæ Studiosi in exteris illis Universitatibus honoris causa capita aperuerint; in Græca tamen literatura, & praxi Medica minime ad gloriam Cornarii assurrexit Fuchsius, quippe qui ignoravit aliquando, quomodo filiola, quæ cultro digitorum læserat, adhibere medelam deberet; unde & Scherbius in Politica Arist. pag. 181. id referens: *Hic fuit, inquit, tam præstans in cathedra, in praxi verò nullus.*

Patrem excipiant duo filii non degeneres, DIOMEDES & ACHATES CORNARII. Nam & illi, quamvis Pater medicinam diversis in locis fecerit, non alibi, quam Cygneæ fuerunt nati. Et ACHATES quidem, ut ὑπερόπεωτον committam, postquam Magisterii lauream Wittebergæ Anno 1554. retulisset, in Academia Salana Anno 1558. Medicinæ Doctor creatus, nec ita multo post in Facultatem ibi Medicam tanquam Assessor fuit receptus; Sed discessit inde Crucinacum ad Rhenum ad partes Physici Ordinarii obeundas, in quibus & diem ibidem suum obiit. De DIOMEDE autem plura referre habeo. Hic uti Zwiccaviæ fuerat natus (nam Zwiccaviensem se ipsemet in titulis librorum à se editorum profitetur) ita in Schola Patria, uti etiam Marpurgensi triviali prima Philosophiæ fundamenta jecit. In Academiam deinde Jenensem à Patre missus, per biennium ibidem Medicinæ studium cum Philosophico maritavit. Ex Salano Athenæo in Viennense Archigymnasium se contulit, & Medicas acroases per sesquiannum illic frequentavit. Exin Wittebergam profectus & ibi per biennium Medicinæ dedit operam. Redux postdeinceps Viennam factus, Medicinæ studium per triennium continuavit, utque sumptus ad Doctoratus gradum assequendum posset acquirere, Tirnaviam, Ungariæ civitatem, profectus Medicinam ibi per biennium factitavit. Nervo rerum agendarum feliciter istic comparato Viennam rediit, ibique Anno 1568. non in Medicinæ tan-
Doctorem promotus, sed & Professoribus Archigymnasii Viennensis fuit adscriptus, teste Oratione, quæ à D. Benjamine Lobschütz-
zlo,

zio, Medicinæ D. & PP. in Promotione ejus solenni fuit habita. Praxin etiam Medicam ultra XXXIII. annos Viennæ exercuit, & quia fortunam in ea obstetricantem fuit expertus, Serenissimi Archiducis Austriæ, postea Imperatoris, Maximiliani II. Archiater electus ob insignia merita Nobilitatis Insignibus, quæ supra galeam coronam, & in campo, ut vocant, Mercurium cum caduceo præferunt, cohonestatus est. Edidit etiam *Consiliorum medicinalium habitorum in consultationibus à clarissimis atque expertissimis apud diversos egrotos Medicis tractatum, observationum item Medicinalium partim à se, partim ab aliis annotatas præmeditationes, & Historias admirandas raras à se collectas*; quæ omnia Lipsiæ 1599. in 4. prodierunt. Edidit etiam *Orationem in funere D. Wolfgangi Lazii, Cæsarei Consilarii & Historici* habitam, Viennæ 1565. cum positionibus aliquot à se publice disputatis, Michaelis Zimmermanni typis exculsam, cujus exemplar V. Cl. Joanni Sambuco ab autore donatum, in Bibliotheca Cæsarea nunc asservari refert Petrus Lambecius Hamburgensis libr. I. Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi f. 37. & 38.

Cornariis autem duobus hisce prior tempore est D. JOHANNES NATHERUS, Physicus Cygneus, & Physici Cygnei D. LEONHARDI NATHERI filius. Hic Magisterii titulo Ao. 1545. cum Casparo Peucero ornatus pulcherrimum à Phil. Melanchthone testimonium retulit, quod una cum aliis tum Melanchthonis, tum aliorum CL. Virorum *αυτογενήτοις & ἀνεκδότοις* epistolis Paulinæ nostræ donavit Vir perquam reverendus M. Johannes Thönniker, Pastor Tzschopaviensis, & Ephoriæ Chemnicensis Adjunctus, isque M. Davidis Thönnikeri, Cygnei, filius, & CL. Daumii quondam in Schola Cygnea discipulus. Ita autem habent literæ Melanchthonis ad Leonardum Nattherum, artis Medicæ Doctorem, quem in epigraphe non *clarissimum tantum Virum, eruditione & virtute præstantem* vocat, sed & *amicum suum veterem & colendum*: S. D. *Utinam filii tui Johannis conspectus etiam morbi levationem tibi adferat, lætitiæ certe allaturum spero, utque id fiat, Deum æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi oro. Eximia est morum moderatio, & in omni officio diligentia in hoc filio, & eruditio in omnibus Philosophiæ partibus tanta, ut magna cum laude in quacunque A-*
cade

academia florente ingenio & frequentia eruditorum docere passet. Diligenter eum in examine audivimus, & summa voluntate publici gratus honore ornandum esse duximus. Nunc tibi Parenti eum commendamus, teque hortamur, ut ejus te consuetudine dulcissima oblectes. Magnam voluptatem capies ex ejus eruditissimis sermonibus, & ex ipsa moderatione in omnibus actionibus & significationibus verae pietatis erga te & matrem. Ingens DEI donum est talis filius, quare & DEO gratias ages, & de munere letaberis, & eum orabis, ut filii studia deinceps quoque regat & adjuvet, quod & ego ei ex animo opto. Bene vale. Die 9. Septembris.

Philippus Melancthon.

Post hunc Natherum inter Quasimodogenitos Cygneos referendus MATTHÆUS FLACCUS, Cygneus, *Mattheus Macula*, Matriculæ Lipsiensi II. Ao. 1543, inscriptus. De hoc excellentissimus noster Botanicus D. Paulus Amman in Chronico Medicorum Lipsiensium *ἀνενδοτω* part. II. Cygneam fecit celebrem Janus Cornarius, Medicus. - Auxit hanc claritatem FLACCUS eruditione haut vulgari, qui cum absoluta encyclopaedia philosophica, litasset Medicinæ, una cum reliquis Candidatis V. solenniter promotus est in *Βλορεμ* d. 28. April. Ao. 1557. Medicinam fecit tum alibi, tum Berolini maxime, unde & Medicus Berolinensis à D. Davide Chytræo, Rostochiensis Theologo fuit inscriptus. Epistola hujus ad Flaccum extat in epistol. ejus volumine pag. 323. ex qua non obscure patet, eum usitatam Medicinæ formam novis paradoxis mutare conatum; quare & eum ἐπιχρησεν Chytræus aliquantisper, nec inventa à se in libro, quem censuræ suæ submiserat, edere ac communicare cum posteritate jubet. Filiam habuit REGINAM, FRIDERICO GROSIO, Bibliopolæ Lipsiensi nuptam, & filiae unice ANNAE GROSIAE matrem factam, quæ D. GEORGIO SCHUTZIO, Curiae Supremo Advocato elocata præter alios liberos & CHRISTOPHORUM GEORGIUM SCHUTZIUM, Aedilem hodie Lipsiensium amplissimum, progenuit.

Flaccum sequatur D. GOTHOFREDUS FINCELIUS, D. HIOBI FINCELI, Professoris primum Jenensis, dein Physici Zwiccaviensis filius. Hunc non Medicum tantum, sed & Poetam non infelicem fuisse, vel sola ejus Soteria loquuntur, Lipsiæ 1612. edita, in

ta, in quibus Cygnea contra pestem poenitendo submississime supplex introducitur.

Nimirum ut Eruditorum aliorum, ita Medicorum inprimis ferax fuit Cygnea. Nam præter jam dictos nati in ea Medicinæ Doctores, *Erasmus Stella, Georgius Pylander*, cui Janus Cornarius Macrum dedicavit Francofordiæ Ao. 1530. editum, *Johannes Alberti, Johannes Göbelius, Paulus Reinholdus, Elias Reibold, Zacharias Limmer, Salomon Fischer, & Balthasar Honettel*, qui & omnes à CL. Schmidio memoriæ sunt prodi. His annumerandus nunc venit D. ZACHARIAS NICOLAUS GOETZIUS, ZACHARIÆ GOETZII, JC. filius, isque non Patriæ tantum Physicus ordinarius, sed & Medicus Provincialis, Practicusque longe celeberrimus. Nec difficilis fuit Cygnea in extraneis Medicis admittendis; quales fuere D. *Petrus Poach, D. Wilhelmus Romanus, Paulus & Job. Georgius Macasii*, aliique hætenus complures. Atque hoc est, quod valde præter alia Janus Cornarius deprædicat in dedicatione jam allegata, ad Senatum populumque Zwiccaviensium Basileæ Ao. 1528. scripta: *Unum est, inquit, quod me vel externum prolectare ad vestri amorem posset, id non tacebo, avitum illud erga rem medicam studium, ac honorificentissimum illud admiratione dignum, ut quum in reliquis adjacentibus urbibus vix singuli degant, apud vos semper ferè tres, aliquando quatuor & plures, propter autoritatem & honorem artis, opibus ac questu mediocribus contenti, vivere aut deligant, aut ut vivant, undiquaque doctissimi quique invitantur, vestra urbi adscripti, etiamsi vestrates non sint; quod quasi sanctum apud plerasque urbes habetur, ac cavetur, ne cuiquam externo contingat; quali fama audio apud vos jam vivere, magna artis gloria, ac liberali fortuna favore Stephanum Wildium, nostrum olim in his studiis æmulum, ac mox familiarem magistrum.*

E

CAP.

CAP. IV.
PHILOSOPHI, PHILOLOGI,
ALIIQUE ERUDITI
CYGNEI,

Quorum in Chronico Cygneo aut nulla aut superficialia facta est mentio.

HOc in capite primo mihi loco recensendi sunt Cygnei illi, qui Decanatum, quem vocant, Philosophicum aliquando obierunt. Est enim hic summus Philosophorum in Academia honor, primariaque dignitas. Denuo itaque memorandi mihi veniunt tres illi Cygnei, quos tanquam Rectores Academiae Lipsiensis haecenus Cygneis incognitos in lucem reproduxi: M. VINCENTUIS GRUNER, M. PETRUS STORCH, & M. JOHANNES SCHIMMELPFENNIG. Et Grunerus quidem, uti & artium magister & Theologiae erat Baccalaureus, ita tanquam Theologus primus Theologiae Professor, tanquam Philosophus secundus Facultatis Philosophicae Decanus fuit constitutus. Neque enim insolens tum erat, unum aliquem & Theologica & Philosophica juxtim profiteri. Misnensis vocatur Schneidero Grunerus in Chronico Lipsiensi p. 332., quasi Misnae sit oriundus, qui & Decanum LV. M. ANDREAM GRUNERUM, qui Zwiccaviensis & ipse fuit, vocat von Meissen / p. 333. Sed cum uterque de natione Misnensium dicatur in prima Facult. Philosoph. Matricula, vox *Misnensis* non urbem Misnae illam, sed Nationem denotat, *Misnensisque* idem seculo illo erat, quod hodie Misnicus. Et de Vincentio quidem Grunero ista lego in Matricula jam dicta: *Anno Domini 1410. Sabbato in capite jejunii electi fuerunt in examinatores Baccalaureandorum de natione Misnensium M. Vincentius de Zwiccow &c. & mox: Ao. Domini 1410. sabbato ante festum Sancti Georgii electus fuit in Decanum M. Vincentius Gruner de natione Misnensium.* Post Grunerum M. PETRUS STORCH, Theologiae & Philosophiae Professor, perperam Lipsiensis à Schneidero dictus, Decanatum Philosophicum

phicam Anno 1412. administravit. Honoris etiam id gessere tres
Cygnei, M. ANDREAS GRUNER Ao. 1438. M. JOHANNES
SCHIMMELPFENNIG Ao. 1442. & M. LEONHARDUS
SCHACH Ao. 1524. docentibus id duabus prioribus Facult. Phi-
los. Matriculis. Sed præterisse fors videbor M. CHRISTOPHO-
RUMBEERENSPRUNGIUM, Cygneum, quem principe loco no-
minandum mihi fuisse quis dixerit. Hunc enim primum Faculta-
tis Philosophicæ in hac Academia fuisse Decanum, primosque Phi-
losophiæ Magistros numero XLI. creasse, CL. Schmidius in Chron.
Cygn. p. I. p. 455. 456. ex carmine quodam *M. Johannis Maucki-
schii*, Theologi postea Gedanensis, & Gymnasii Rectoris, comme-
morat, seque causam ignorare profitetur, cur Beerensprungius iste
omissus à Schneidero, Chronicographo Lipsiensi, in recensione De-
canorum fuerit. Sed in promptu mihi omissionis illius est ratio.
Nam primus Decanus non Misnicus fuit, sed Saxo *M. Henricus
Bernbager*, secundus Misnicus, *M. Vincentius Gruner*, tertius Polo-
nus *M. Timotheus de Mergenaw*, & IV. Bavarus, *M. Burchardus
de Balingen*, quem Saxo alius subsequitur, teste prima membranea
Facult. Philos. Matricula. Neque enim certius magisque indubi-
tatum hac in re documentum afferri potest; ut non abs re adeo
scire aveam, quam ex Aganippide vel Hippocrene Mauckischius
versus illos hauserit; quanquam nec carmen illud, quod oppido
quam vellem, videre mihi licuit. Possent alias, ut duplex Deca-
norum Lipsiensium ternio constitueretur, & hunc defectum sup-
plere, cum Decanatum Philosophicum & ego bis, & semel quidem
tanquam Misnicus Anno 1674. quo septem creabam Baccalaureos,
& altera vice tanquam Bavarus, vel potius, ut sic dicam, Bavariza-
tus Anno 1684. & 1685. quo XXXVIII. Philosophiæ Magistros publi-
ce renunciavi. Sed nolo id honoris mihi sumere, ne gloriolæ va-
næ choragium ambire velle videar.

In Academia Wittebergeni è Cygneis non tantum M. OS-
WALDUS LASANUS Decanus extitit Anno 1556. quo XXXIV.
juvenibus eruditis Magisterialem lauream contulit, sed & ABRA-
HAMUS WERNERUS, Philosophiæ ac Medicinæ Doctor, & Phy-
sices in eadem Leucorea Professor. Nam prius, quam à Freiber-
gensibus ad Physici ibidem ordinarii partes obeundas evocaretur,

tanquam Decanus Ao. 1567. XXV. Studiosos juvenes, interque illos duos Cygneos, concives suos, *Jobannem Oelmannum, M. Joachimi Oelmanni*, avi mei materni patrem, & *Fridericum Petraum*, Magisterii titulo exornavit.

Post Decanos hosce jam illi perpetuæ memoriæ sunt consecrandi, qui suarum in Scholis partium, tanquam Rectores vel Con-Rectores, partium probe fategerunt. Ex his vel maxime commendandus est M. CHRISTOPHORUS BALDUFIIUS, de quo nimis pauca in Chronico Cygneo pag. 418. referuntur. Hic cum primum Scholæ Schneebergensis Rectorem ab Ao. 1543. usque ad 1554. egisset, Gymnasii Portensis fasces ei ab Electore Saxoniae MAURITIO sunt delegati. Sed cum Vir longe doctissimus ESROMUS RUDINGERUS, Joachimi Camerarii Gener supra laudatus, moderamen Scholæ Cygneæ cum professione Wittebergenfi commutasset, vocatus in patriam Cygneam Baldufius Rectoris Scholæ ibidem partes dextre obiit. Huic, qui ex merito in Porta succederet, sollicitè quærebatur; uti ex epistola Melanchthonis ad Camerarium Anno 1557. d. 30. Jul. scripta sat patet, cujus hoc initium pag. 719: *Hunc tabellarium misi propter aulicam epistolam, de Portensis Scholæ Rectore, quam cum legeris, tuo iudicio quæres Balduvio successorem; si probas eum, qui nunc secundum locum tenet, fortasse commodius erit ipsi primum locum tribuere, quam alium novum & ignarum consuetudinis loci illius quærere, sed totam rem tuo iudicio commendo, &c.* Verum cum par ei successor frustra fuisset quæsitus, denuo à MAURITIO Electore Saxoniae, & quidem de Melanchthonis & Camerarii consilio, Scholæ Portensis gubernaculis præfectus est. Pulveri huic Scholastico immerfus non tantum Hiobum patientem in laboribus devorandis, & Sibyllam scientem in exponendis tradendisque artibus, sed fortem quoque Hectora in discipulis castigandis se exhibuit. Nam secundum distichon illud Andreæ Cratonis à CL. Christiano Weisio, Gymnasii Zittaviensis Rectore peculiari oratione explanatum:

Gymnasii Rector sit semper fortis ut Hector,

Sicut Hiob patiens, utque Sibylla sciens.

Hectoreæ istius fortitudinis jucundum specimen est illud, quod M. Justinus Pertuchius, Scholæ Portensis Rector in Chronico Portensi

tenfi monumentis literarum consignavit. Nimirum cum MAURITIUS Elector Saxoniae Anno 1577. cum ALBERTO Brandeburgico bellum gereret, in quo bombardæ globo ad ilia trajectus tanquam victor cecidit, hujus MAURITII (verba refero Pertuchii pag. 79. 80. extantia) bellum cum ALBERTO Portenses quidam discipuli representaturi in duas abierunt partes, quarum altera Brandeburgensem ALBERTUM, altera MAURITIUM Saxonem referebat. Factis itaque vexillis è lectorum stragulis concurrunt in prato mutuis plagis. Hoc refertur ad Rectorem Baldufium, qui approbationem vultu simulans convocat utrumque agmen in cœnaculum. Instructi adveniunt Mauritariani & Brandeburgici. Baldufius baculo arrepto irruit in eos, hortandoque ad fortitudinem primum quemque baculo cedit, subinde ingeminando militare illud, *Heran/heran / state viri defendite vos.* At unicus Baldufius ἐν τῷ vūv, utrumque fudit exercitium, defessus verberando, hoste vapulando. Victoria illa deportata Baldufius supplicium sumpsit de victis, podicibus illorum ferula bene concisis. Nec nulla fortitudinis illius per annos quamplurimos exercitatae præmia Baldufio optimo defuere, qui ab eodem Pertuchio l. c. pag. 166. Poetæ verbis dicitur

Vir laudibus acer

Atque gravis studiis, cana pietate verendus.

Nam post tot labores Scholasticos exantlatos AUGUSTUS Dux Saxoniae & Elector ei tanquam emerito ad vitæ sustentationem 100. florenos ex Schola quotannis numerari quam clementissime iussit. Sed cum rude donatus Numburgi per dimidium anni vix victitasset, repentinam planeque inusitatam cum uxore mortem obiit. Nam cum uxor (utor iterum verbis Pertuchii) interesset baptismo nepotis ex filia, elocata Domino Matthiæ Clothæ, Protonotario publico Dicasterii Jenensis, & ibidem inter gaudia diem obiret sum, nuncio hoc percussus Baldufius subito animam exspiravit, mandatus cum uxore uni sepulcro Numburgi Ao. 1580.

Post Baldufium non indigni sunt, qui heic loci ab oblivione vindicentur, sequentes de Schola homines; I. JOACHIMUS GRÆFIUS, Cygneus, & Scholæ Dessaviensis Rector. Hic Aululariam Plauti vertit Germanice, ediditque etiam eine schöne teutsche Comœdiam, *Mundus*, inscriptam cum latina præfatione ad Georgium

gium Sabinum; Anno 1537. Sed ob ludos suos varie à parochio suo fuit reprehensus. Quæsit ergo ex viris eruditis, an sacras historias Christiano populo quovis in loco sacro vel prophano audiendas spectandasque proponere liceat. Nec responsum ei non fuit ad illud ζήτημα; probarunt certe id instituti Lutherus Germanice ad Georgium Principem Anhaltinum, Philippus Melanchthon, & D. Georgius Major ad Georgium Heltium, Hieronymus Noppus, & Paulus Eberus ad M. Georgium Forchemium; quorum literas CL. Daenius aliquando descripsit, II. M. JOHANNES CRITANDER Cygneus, Scholæ Wittebergenſis Rector, cui addi meretur III. M. DAVID WINTERUS, ejusdem p, t. Scholæ Con-Rector, & Philologus eximius, & IV. M. NICOLAUS REYHER, Cygneus, Scholæ Schneebergenſis quondam Con-Rector. Sed æterna memoria præter cæteros digniffimus est Vir nobiliffimus præclariffimusque CHRISTIANUS DAENIUS, Cygneus, Scholæ Patriæ post πολύγλωσσον illum JOHANNEM ZECHENDORFFUM, Præceptorem meum etiam post fata mihi venerabilem, Rector optime meritus, atque adhucdum merens, Philologus, Poeta, & Criticus non innumeris tantum Germaniæ Eruditis, sed & Magliabechiis in Italia, Menagiis, Bigottiis, & Baluziis in Gallia, Heinsiiis & Graefiis in Belgio Fœderato, exterisque aliis longe æſtimatiffimus, doctor quondam meus longe fideliffimus, nunc Amicus Cygneo vellere quovis candidior, cui in grandi ætate jam constituto viridem vegetamque senectutem animitus exopto, ut *Indices latine linguæ longè operoſiffimos, Indagatorem Radicum, tractatum de Aoristo secundo, Epistolas Cl. Virorum*, aliaque scripta, quibus favillam Orbi literario movit, perducere ad colophonem, atque in lucem queat emittere.

Sed nec alii non fuere Cygnei tum scriptis, tum artibus aliis commendabiles. Nam *Matthias Leucomannus*, sive *Weifmannus*, Cygneus, & Magister Lipsiensis Anno 1517. librum Lipsiæ de *artificioſa memoriæ institutione* edidit, qui & in titulo *Cygnem*, in dedicatione *Czwicavianum* se nominavit. Historicum egit *Paulus Langius*, Monachus Boznaniensis, Citicensis quippe Chronici autor, quem Delrio Jesuita in disquisitionibus Mag. pag. 610. *Cygnolum*, sed ob studium veritatis amoremque candoris, *perfidum hereticum*

ticum; Wolf. in Memorab. II. Memorab. f. 169. *Monachum plane Luther-
theranum* appellat; ut & *Paulus Graßius*, Cygneus, à Petro Albino in
Chronico Misniæ provinciali pag, 371. inter Historicos relatus, &
M. Tobias Schmidius, Ecclesiastes patriæ suæ, & diligentissimus
Chronici Cygnei conditor, cujus laus eximia, donec Cygnea ipsa
stabit, non intermoriatur. Musici ex Cygneis fuere *Johannes
Schleiferus*, *Matthæus Weismannus*, & *Jacobus Zieglerus*, quos & vi-
cina Cygneæ Schneeberga Cantores habuit; sed quos hodie non
tam æquant, quam superant, *Gotfriedus Vogel*, Cygneus, Chemnicen-
sium Cantor, & *David Schmid*, Cygneus, Academiae quondam Re-
giomontanæ aliquantisper civis, qui posteaquam variis fortunæ in-
fultibus fuit expositus, hodie in oppido Borussiae Angerburg & Ju-
diciis & Organædi officio fungitur, Musica Germanica edita non
incelebris.

Caput hoc finiturus non possum non insignis Mathematici
atque Astronomi *M. Tobias Mulleri*, Crimmicensis quidem patria,
sed civitate Zwiccaviensis, mentionem quandam injicere. Evul-
gavit hic scripta non una, sed adversarium nactus est D. Zacha-
riam Rivandrum, Theologum, eumque aculeatum oppido & lon-
ge mordacissimum. Scripserat autem Mollerus quædam de con-
versione ac restitutione Judæorum, fore asserens, ut ante diem ex-
tremum gens ista & converteretur, & vetus ipsi terræ sanctæ pos-
sessio propediem restitueretur. Quæ sententia cum displiceret
Rivandro, satyricissime illam scriptis aliquot perstrinxit, è quibus
& hoc Anno 1558. fuit editum: Gratulatio an den Allerleuchtesten
durch Gott und heiligsten M. Tobias Mollerum, Astronomum
Crimmicensem, den letzten Noa und Propheten / nicht allein den
Juden / sondern auch der ganzen Welt / der sich in diesem 88.
Wunder-Jahr nach der alten Weissagung durch Gottes wun-
derliche Gnade zu Zwickau mit seiner wunderbahren Prophecey
wunderlich hören und sehen läffet. Geschrieben zur investitur
und Einleitung zu diesem seinem Göttlichen Propheten-Amte und
zur Dancksagung für die in seiner Weissagung erzeigete Ehren-
Tittel durch Zachariam Rivandrum, der Heil. Schrift Doctorem
und Bibersteinischen Superintendenten zu Forst / &c. Mullerus
autem vicissim Rivandro haud pepercit, atque uti primo Rivandri
Scri-

Scripto von alten und neuen Calender responsi quid dederat, ita
 scopticæ quoque Rivandri gratulationi isti *αὐτῶν* reposuit, qua-
 rum hic est titulus: Responsio auf des allerhohnreichsten Calu-
 mniatoris und mechtigsten Spötters dieser ieszigen letzten Zeit D.
 Zachariæ Rivandri, Pfarrers und Superintendenten zu Forst/ zu
 nechst ausgegangenen Gratulation und Schmach-Schrift. Ge-
 gen alle fromme Herzen / daß zu diesen betrübten Sodomitischen
 Zeiten / von schmachhafften Zungen und Teuffels-Clowacken / zwar
 auch auf alle treue Lehre und Vermahnung man nicht viel bessers als
 dieses und anders dergleichen zu gewarten / gestellet durch M. Tho-
 biam Müllern Crimmicensen, Astronomum und Bürgern zu
 Zwickau / in 4. Anno 1589. Si quid iudicii de his scriptis eristi-
 cis aspergendum est, sane Rivander, in historiarum alias omnis
 generis lectione versatissimus, nimium scurrilibus nugis, & Theo-
 logo plane indignis conviciis Mullerum est adortus. Merito ita-
 que famam suam defensavit Müllerus, & satis quidem vicissim du-
 riter, at cum temperamento tamen modestiæ Christianæ Rivan-
 drum tractavit; pro sua quoque sententia non proletaria affert,
 imò pro illa & Vitum Dietericum, Philippum Melanchthonem,
 Georgium Majorem allegat. Sed manum de tabula.

Atque hi sunt Cygni illi Quasimodogeniti, hi, inquam, Cyg-
 nei illi sunt, à me brevi temporis spatio, tam in evolutione Ma-
 tricularum Academicarum, quàm librorum MSSorum & impresso-
 rum reperti, & jam ex pulvere quasi oblivionis in lucem pro-
 tracti. Plures excutiat is, qui Chronicon Cygneum continua-
 re, auctiusque reddere induxit animum. Ego Summi Viri cujus-
 dam *κελεῖμασι* instigatus hoc quicquid est schediasmatis historici
 de Cygneis Eruditis suggerere futuro Cygneorum Chronicogra-
 pho volui. Plures id genus excuti ac reperiri posse stupendus
 Cygneorum, qui Matriculis Academiæ hujus inscripti sunt, nu-
 merus mihi facile persuadet. Nam ab Anno 1409. quo Acade-
 mia Lipsiensis condita est usque ad Annum 1600. (reliquas Ma-
 triculas evolvere jam non vacat) 570. Zwiccavienses civibus A-
 cademicis sunt adscripti, interque illos (ut aliquot tantum de fa-
 miliis olim florentibus nominem) *Strödelii* quinque, *Valentinus*,
Sebaldus, *Sigismundus*, *Bartholomeus*, *Georgius*; duo *Geulenböferi*, *Jo-*
han-

*hannes & Andreas; quatuor Beerenwaldi, Johannes, Petrus, & duo
 Jacobi; quatuor Preusii, Johannes, Erasmus, Christophorus, & Caspa-
 rus; tres Lasani, Sebaldus, David & Jacobus; tres Thymii, Jonas, Jo-
 hannes, Matthias; tres Beerenprungii, Bernhardus, Georgius, & Lau-
 rentius; quinque Mühlforti, Jacobus, Nicolaus, Henricus, & duo
 Hermanni; sex Kratzbeerii, Erasmus, Michael, duo Nicolai & duo Jo-
 hannes; quatuor Gebhardi, Melchior, Justus, Martinus & Johannes;
 tres Morgensternii, Paulus (Abbas postea Grünhainensis) Johannes
 & Michael; tres Römeri, Martinus, Wolfgangus, & Johannes; tres
 Jungnickelii, Nicolaus, Johannes & Ludovicus; sex Reinholdi, Geor-
 gius, Nicolaus, Gotfriedus, Johannes & duo Pauli; tres Opelii, Carolus,
 David & Johannes; novem Lindneri, duo Nicolai, duo Ludovici, An-
 dreas, Wolfgangus, Oswaldus, Christophorus & Nero; tres Summer-
 schuchii, Philippus, Johannes, & Christophorus; quatuor Passeckii, Lu-
 dovicus, Petrus, Wolfgangus & David; tres Geieri, Jodocus, Hierony-
 mus & Johannes; tres Polneri, Petrus, Leonhardus (Decretorum ille
 Doctor, & Academiae hujus Rector, de quo supra cap. II.) & Gre-
 gorius; tres Baldufi, Burchardus, Georgius & Wolfgangus, & quorum
 familia hodieque primiceria est, quatuor Ferberi, Georgius, Johannes,
 Salomon, & Wolfgangus.*

*Nec exiguus Cygneorum illorum, qui summam Philoso-
 phiae lauream ex hac Academia reportarunt, est numerus, ut de
 spississima Philosophiae Baccalaureorum nube jam nihil dicam.
 Creati enim Seculo post Christum natum XV. ab initio scilicet
 Academiae seu Anno 1409. usque ad 1500. Magistri Philosophiae se-
 quentes, ut vocantur, de Zwiccavia: Ignatius de Zwiccavia, Johan-
 nes Cantrifusoris, Michael Balneatoris, Johannes Sartoris, Johannes
 Cantrifusoris, Nicolaus Schilling, Petrus Höltzel, Martinus Schwart-
 zenberg, Bernhardinus de Zwiccavia, Johannes Custodis, Petrus
 Drechsel, Laurentius Beerenprung, Wolfgangus Gulden, seculo supe-
 riore seu XVI: Laurentius Rudel, Wolfgangus Zeuner, Johannes
 Zeidler, Laurentius Zeuner, Leonhardus Schach, Matthias Weismann,
 Oswaldus Lasanus, Eusebicus Wildeck, Georgius Funckelius, Bartholo-
 maus Beschmann, Johannes Meier, Paulus Wagner, David Rost, Jo-
 hannes Teucher, Michael Löscher, Fabianus Scheuner, Justus Gebbar-
 dus, Christophorus Faber, Michael Sturmius, Stephanus Rotb; seculo*

F

hoc

hoc, seu ab Anno 1600. usque ad hæc tempora: *Manasses Walther, Theophilus Bohemus, Constantinus Walther, Michael Emmerling, David Lossius, Johannes Opelius, Johannes Bösewetter, Petrus Schütz, Zacharias Hopf, Nicolaus Andreas Limmer, Michael Wolfrum, Theodorus & Jacobus Illingii, Daniel Zimmermann, Casparus Gebhard, Michael Francke, David Weismann, Christophorus Graf, Casparus Cunradi, Christianus Schnee, Nicolaus Günther, Daniel Beerenprung, Johannes Fiedler, Bernhardus Schmid, Fridericus Pezold, Joachimus Fellerus, Cornelius Vogel, Gottfried Thyme, Leonhardus Ferberus, Fridericus Wilhelmus Tüchel, Johannes Fritsch, David Thyme, & Christianus Feustelius, P. L. C.*

Non minor, imò longè major, Cygneorum illorum, qui in Alma Leucorea Magisterii titulum obtinuerunt, est numerus. Etenim ab Anno 1503. usque ad Annum 1583. (uti ex Matricula Facultatis illius Philosophicæ à nescio quo descripta cognovi) promoti fuerunt in Magistros, qui sequuntur, Zwiccavienses: *Wolfgangus Cantrifusorius, Johannes Pfrimer, Philippus Kutzer, Philippus Reuschenbach, Balthasar Thursfinder, Johannes (aliàs Janus,) Cornarius, Georgius Thurmann, aliàs Pylander, Nicolaus Reinhold, Christophorus Sägnier, Simon Sinapius, Johannes Carius, Martinus Bavarus, Laurentius Schabel, Simon Wirtz, Johannes Natherus, Johannes Albertus, Erasmus & Franciscus Appellii, Johannes Goldschmid, Paulus Agricola, Paulus Amandus, Bartholomæus Lasan, David Baldusius, Johannes Göbelius, Achates Cornarius, Abraham Streber, Johannes Critander, Matthias Sibertus, Martinus Hechelmüller, Abraham Major, Adamus Beerwaldus, Johannes Matthæus, Petrus Faber, Johannes Leopoldus, Johannes Myllichius, Rupertus Wolfius, Christophorus Bohemus, Paulus Reinhold, Johannes Oelmann, Fridericus Petrus, Otto Kecher, Johannes Zimer, Wolfgangus Reiben, Georgius Sturmius, Jacobus Teucher, Christophorus Thilo, Josephus Amandus, Casparus Altwein, Georgius Confusius, Nicolaus Reyer, Balthasar Schoff, Martinus Meinhard, Paulus Crocius, Zacharias Thilo, Paulus Dalbicius, David Salzbrunner.* Reliquos Cygneos, qui ab Anno 1583. usque ad præsentia tempora in eadem Leucorea Magistri sunt creati, non invitus, spero, excutiet Vir Clarissimus mihi que charissimus *M. David Winterus, Cygneus, & Con-Rector Scholæ Witteber-*

tebergensis jam laudatus. Neque enim despero, fore, ut, qui Decanales ibi Facultatis Philosophicæ fasces jam gerit, Vir excellentissimus MICHAEL WALTHERUS, Mathem. Superiorum PP. celeberrimus, inspectionem ei Matricularum Philosophicarum reliquarum ad tempusculum concedat, vel ministrum suum Cygneos ibi promotos excerpere jubeat. Ego interim ἐν θυσιασμίῳ Poëticum quendam persentiscens dulcissimam Patriam sic alloquor:

*En Cygnos, CYGNEA, tuos, quos nocte sepultos
Produxi ex tenebris, queis latuere, suis,
Jamque velut Pharios volucres de pulvere
natos*

Civibus exhibeo, civis & ipse, tuis.

*Sit gratus labor iste Tibi, nec despice chartas,
Quas Patria fervens scribere jussit amor;
Postquam tot claros antiquæ ætatis Olores
Libris ex variis evoluisse datum est.*

Sed mihi cur Matrem non confidam esse benignam,

*Cui tanquam stella est Arctica Matris
honos?*

Macte ergo his Cygnis, Mater veneranda, renatis,

*Utque queas fœtus progenerare pares,
Ipsa sies Phœnix, meliorque deinde resurgas,
Quæ dudum Penies pondere pressa jaces;
Sumat & antiquum Tecum, Schola Patria, florem,*

Qua vix Teutonico clarior orbe fuit.

Sic

21105708
Sic Tibi, sic aliis nunquam Gens Cygnica
deërit,

Quæ possit laudes amplificare tuas,
Quæque, licet dudum tenebroso abscondita
busto,

Præcones habeat semper & ipsa suos.

γένοιτο! γένοιτο!
γένοιτο!



VD17

M.C.

h. 108, 43.

x 2044

CY

QVASIMO

CLARI ALIQ

QVORUM IN CHRO

NULLA AUT S

FACTA ES

AB OBLIVION

DULCISSE

DED

L. JOACHIMO FE

POES. P. P. IN ACA

EJUSDEMQUE B

PRÆFA

DE CLARIS QV

MISNICORUM

VI

LI

Literis JOHA

Apud JOH. CHRIST

Anno M

8

